Brakman, Cornelius
Miscella.
Vol.1.

MISCELLA

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.r

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
MCMXII.

MISCELLA

[Vol. 1]

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.[F].

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
MCMXII.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

"Ισμεν γὰρ οὐδὲν τρανὲς, ἀλλ' ἀλώμεθα.
Sophocl. Ai. 23.

PRAEFATIO.

Cum fieri possit ut coniecturae et aliae observationes meae pertinentes ad Arnobium, Valerium Maximum, Florum, Ovidium, Senecam (tragicum) prosint iis, qui horum scriptorum opera vel edituri vel interpretaturi sunt, ut antea vulgavi Ammianea, Annaeana, Velleiana cet., ita illas quoque statui publici iuris facere. Quod pauca addidi Suetoniana et Minuciana, quibus unus Tertulliani Apologetici locus est subiunctus, lectores boni consulant!

Dabam Hagae Comitis
mense Iulio anni MCMXII.

C. BRAKMAN J.F.

CAP. I.

Uns hat der beredte und gelehrte Apo loget .... stets als einer der eigenartigsten und anziehendsten Figuren der grossen Uebergangszeit vom alten zum neuen Glauben gegolten.

Th. Gomperz (Rhein. Mus. LXIV 155).

Arnobiana.

Quamquam a Meisero [1]) a Gomperzio [2]) a Löfstedtio [3]) a Stanglio [4]) a Kirschwingio [5]) multi loci, qui pertinent ad septem Arnobii libros, qui inscribuntur Adversus Nationes, sagaciter in integrum restituti sunt, tamen non desunt qui emendatione egeant. Equidem viginti quinque fere locos selegi quos corrigere conarer.

Initio operis apologetici auctor, ut redarguat adversarios contendentes post fidem Christianam ortam homines omnibus malorum generibus affectos esse interrogat eos cum alia tum haec I 2 (pag. 4, 21 sqq.) numquid longos habere dies bruma et revocare tardissimas luces nox coepit aestatis? numquid suas animas expiraverunt venti emortuisque flaminibus neque caelum coactatur in nubila *nec madidari ex imbribus arva succedunt* [6])?

1) Studien zu Arnobius von Karl Meiser (Sitzungsberichte der k. Bayerischen Akademie der Wissenschaften. Jahrgang 1908).

2) Rheinisches Museum (1909), Band 64 pag. 153—155.

3) Patristische Beiträge (In Erani Vol. X).

4) Berliner philol. Wochenschr. XXX (1910) col. 125—128; 157—160.

5) Qua ratione in Arnobii libris ars critica exercenda sit. Dissert. inaug. Bornensis-Lipsiae (1911).

6) Textum dedi secundum editionem Reifferscheidianam, quae prodiit Vindobonae (1875).

Haec ultima verba manifesto corrupta sunt. Meiser [1]) vero voci *succedunt* substituens *se sentiunt* vehementius locum tractavit ne sede quidem vitii recte indicata. Leniore certe medicina adhibita reposuerim: nec madida ⟨*aridis*⟩ ex imbribus arva succedunt? Cum locutione: madida *ex* imbribus comparentur I 39 (pag. 26, 12 sq.) si quando conspexeram lubricatum lapidem et *ex* olivi unguine sordidatum (quae verba Meiser immerito sollicitavit); et II 49 (pag. 86, 28) heiulantem *ex* cruciatibus asperis cet., ubi praepositio *ex* propemodum eandem vim habet.

Ceterum ipsa sententia, de qua egimus, paulum immutatis verbis — id quod editor debuit legentes monere — infra redit II 37 (pag. 78, 8 sqq.) quid ergo, si homines non sint, ab officiis suis cessabit mundus, vicissitudines suas non peragent sidera, aestates atque hiemes non erunt, ventorum flamina conticescent nec ex coactis et pendentibus nubilis ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi?

I 16 (pag. 12, 17 sqq.) si in Asia, Syria idcirco mures et locustas effervescere prodigialiter voluerunt (sc. dei), quod ratione consimili habitarent in eorum gentibus Christiani: in Hispania, Gallia cur eodem tempore horum nihil natum est, cum innumeri viverent in his quoque Christiani? si apud Gaetulos *cum aquitanos* huius rei causa siccitatem satis ariditatemque miserunt, eo anno cur messes amplissimas Mauris Nomadibusque tribuerunt, cum religio similis his quoque in regionibus verteretur?

Meiser l.l. pag. 20 scribit: Der Name der zweiten Völkerschaft war wohl *Garamantas*. Quod parum probabile est; mea quidem sententia *cumaquitanos* corruptum est ex *Zeugitanos* [2]).

Arnobius profitetur a Christianis summum Deum adorari eiusque auxilium in periculis implorari; tum sic fere pergit:

I 26 (pag. 17, 8 sqq.) quisquis istud in nobis damnat aut in aliqua ducit criminatione ponendum, is aut nomine appellandus est hominis, quamvis ille videatur sibi, aut deus esse credendus

---

1) l.l. pag. 19.

2) Cf. Plin. Nat. Hist. V 23 A Tusca *Zeugitana* regio et quae proprie vocetur Africa est; cet.

est, quamvis ipse se esse mille profiteatur in vatibus? profanos nos, impios Dodonaeus aut ⟨*Capitolinus*⟩ Iuppiter nominat, et ipse dicetur deus atque in ordine conputabitur numinum, qui aut summo servientibus regi crimen impietatis adfingit aut sibi torquetur maiestatem eius cultumque praeponi?

Quod inserui, desumpsi ex ipso Arnobio, qui scribit VI 16 (pag. 227, 29 sqq.) o utinam liceret in simulacri alicuius medias introire pendigines, immo utinam liceret *Olympiacos* illos et *Capitolinos* Ioves diducere in membra resolutos omnesque illas partes quibus summa concluditur corporum discretas ac singulas contueri.

Neque omittenda sunt haec eiusdem auctoris verba VI 23 (pag. 234, 4 sqq.) sed si deae Veneres ingeniis placidioribus praeditae gerendum esse morem infortuniis iudicavere caecorum, cum Capitolium totiens edax ignis absumeret Iovemque ipsum *Capitolinum* cum uxore corripuisset ac filia, ubinam fulminator tempore illo fuit, ut sceleratum illud arceret incendium et a pestifero casu res suas ac semet et cunctam familiam vindicaret? ubi Iuno regina cum inclitum eius fanum sacerdotemque Chrysidem eadem vis flammae Argiva in civitate deleret? ubi Serapis Aegyptius, cum consimili casu iacuit solutus in cinerem cum mysteriis omnibus atque Iside? ubi Liber Eleutherius, cum Athenis? ubi Diana, cum Ephesi? ubi *Dodonaeus Iuppiter*, cum Dodonae?

Multus est Arnobius in enarrandis miraculis a Christo perfectis (I 43—46), de iis autem rebus totum caput 45. agit interrogationibus quae dicuntur rhetoricis [2]); legimus verbi causa

(pag. 29, 26 sqq.) unus fuit e nobis, cuius ex levi tactu stabant profluvia sanguinis et inmoderatos cohibebant fluores? unus fuit e nobis, cuius manus intercutes et veternosae fugiebant undae, penetrabilis ille vitabat liquor et turgentia viscera salutari ariditate deflabant? unus fuit e nobis, qui claudos currere

---

1) Cf. Cic. de nat. deor. I 82 et quidem alia nobis *Capitolini* alia Afris Hammonis Iovis (sc. species).

2) Nicht leicht hat ein anderer Schriftsteller die rhetorische Frage so häufig angewendet (Meiser l.l. pag. 9).

praecipiebat, et iam *operis res erat*, porrigere mancos manus, et articuli mobilitates iam ingenitas explicabant; captos membris adsurgere, et iam suos referebant lectos alienis paulo ante cervicibus lati; viduatos videre luminibus, et iam caelum diemque cernebant nullis cum oculis procreati?

Locum procul dubio turbatum sanabis, si revocaveris: unus fuit e nobis, qui claudos currere praecipiebat et iam *perniciores erant* e. q. s.

I 48 (pag. 31, 27 sqq.) sed frustra, inquit nescio quis, tantum adrogas Christo, cum saepe alios sciamus et *scierimus* deos et laborantibus plurimis dedisse medicinas et multorum hominum morbos valetudinesque curasse.

Pro *scierimus* Meiser requirit *audierimus*, nonne praestat edere ⟨*re*⟩*scierimus*?

II 21 (pag. 64, 26 sqq.) nunc quoniam imagini praeparavimus sedem, accipiamus deinceps mox aliquem *natum et* ⟨*genitum*⟩ in loci illius hospitium, quod habeat rem nullam et sit inane ac vacuum, Platonica licet aut Pythagorea progenie aut horum alicuius, qui acuminis perhibentur fuisse divini aut ex deum responsis sapientissimi nuncupati.

Hic quoque Arnobium sumo voci *natum* subiunxisse *genitum*, quod bis fecit infra II 56 (pag. 92, 14 sqq.) mundum quidam ex sapientibus aestimant neque esse natum neque ullo esse in [1]) tempore periturum; immortalem nonnulli, quamvis eum conscribant esse *natum et genitum*; tertiis vero conlibitum dicere est, et esse *natum et genitum* et ordinaria necessitate periturum. Insuper Arnobius, a quo omnino frequentissime verba synonyma copulantur, usurpat has locutiones (pag. 158, 19) natus atque editus et (pag. 179, 24) inde natum et ortum est.

II 22 (pag. 66, 2 sqq.) procedat igitur nobis solitudine in

1) Ne quis in suspicionem vocat illud *in*, affero (pag. 231, 6) *uno in tempore*, quamquam paulo infra invenitur (pag. 231, 15) *uno tempore*. Comparemus etiam (pag. 241, 27 sq.): quando ergo conveniat adhiberi haec munia vel *in* tempore quo dari? Similiter occurrit modo *hoc loco* (pag. 138, 1), modo *hoc in loco* (pag. 165, 11; 171, 21 cet.).

operta nutritus quot vultis annos agens: vultis vicenarius? vultis tricenarius? immo cum annos fuerit quadraginta permensus, mortalium conciliis inferatur, et si verum est, illum principalis esse substantiae portionem *iam laeta* ex fontibus vitae derivatum hic agere, antequam notitiam rei sumat alicuius aut sermone imbuatur humano, det responsum rogatus, quisnam sit ipse aut quo patre, quibus sit in regionibus editus, quo pacto aut quanam ratione nutritus, quid operis aut negotii celebrans ante acti temporis decurrerit aevitatem e. q. s.

Verisimillimum est genuinam scripturam fuisse: *tam altae* ex fontibus vitae derivatum hic agere. *Altus* autem prorsus eodem sensu positum est III 12 (pag. 120, 3) quaerendi sunt nobis *altioris* intellegentiae doctores.

II 43 (pag. 82, 22 sqq.) ergone sapientes illae atque ex causis principalibus proditae genera haec animae turpitudinum criminum malitiarumque noverunt atque ut exercerent, ut gererent, ut percelebrarent haec mala, *habitare* atque *habitare* iussae sunt has partes et humani corporis circumiectione vestiri?

Quid lateat sub priore voce *habitare,* docere videtur Plaut. Rud. 777

Hunc quoque adserva ipsum, ne quo *abitat* e. q. s.,

ubi codices A et B exhibent *habitat* pro *abitat,* quamobrem et supra apud Arnobium pro *habitare* legendum censeo *abitere,* quod flagitat sententia [1]).

Hic primum observandum est Arnobium plura verba hausisse ex Plauti comoediis [2]), velut III 22 *gnarures* (Mostell. 100); V 28 *meticulosa* (Amphitr. 293); V 35 *versipellibus* (Bacch. 658); VII 6 *dissignaverit* (Mostell. 413); III 16 *clurino cum pecore* (Trucul. 269) cet.

Comparemus deinde I 28 (pag. 18, 19 sq.) nos hebetes *stolidi fatui* obtunsi pronuntiamur et bruti cum Plaut. Bacch. 1088

stulti, stolidi, fatui fungi, *bardi,* blenni, buccones.

Quin etiam *bardi* bis utitur Arnobius nempe II 19 (pag. 64, 2)

---

1) Löfstedt l.l. pag. 11 coniecit *abire,* quod non omnes numeros veritatis habet.

2) Cf. Gualterus Tschiersch De Arnobii studiis Latinis. Ienae 1905 (Diss. phil.) pag. 16, 15, 11 cet.

acuminis obtunsioris et *bardi* et V 20 (pag. 125, 17 sq.) *bardi* enim sunt alii nec possunt aliquid scitum, si oratio facienda est, eloqui.

Postremo si monemus legentes hunc scriptorem multos infinitivos passivi in *-er* exeuntes [1]) aliosque archaismos non paucos adhibuisse, velut *aevitatem* (II 22), *caelos* [2]) (III 9) cet. facile unusquisque concedet *abitere* ab Arnobii genere dicendi prorsus non abhorrere.

II 49 (pag. 86, 27 sqq.) quid enim, si hominem dicas captum membris omnibus et heiulantem ex cruciatibus asperis idcirco esse sanum, quod unius unguiculi nullum perpetiatur dolorem: aut esse auream terram, quod in verrucula collis unius insint exiguae miculae, quibus nascitur colliquefactis aurum et *adcuratiore* congregatione conquiritur?

Reifferscheid e coniectura dedit *adcuratiore,* at P exhibet *admiratio,* quod ortum puto ex *a mirātib.*, quocirca videtur refingendum esse: et *a mirantibus con*gregatione *con*quiritur.

Similis allitteratio reperitur VI 19 (pag. 231, 12 sq.) cum totum consistere nequeat, nisi fuerit partium *con*gregatione *con*flatum.

II 60 (pag. 96, 28 sqq.) rebus ex omnibus, quas augustae continet divinitatis obscuritas, (sc. Christus praecepit Dominum) solum esse indubitabilem, solum verum et de quo nullus ambigere nisi amens possit et desperationis insanae, quem satis sit scire ut nihil aliud noveris, sisque veram et maximam scientiam consecutus in dei, domini [3]) rerum et capitis cognitione defixus. cap. 61 *quid est inquit* vobis investigare, conquirere, quisnam hominem fecerit, animarum origo quae sit, quis malorum excogitaverit causas, orbe sit sol amplior an pedis unius latitudine metiatur, alieno ex lumine an propriis luceat fulgoribus luna? quae neque scire compendium neque ignorare detrimentum est ullum.

---

1) E. g. V 7 velarier et coronarier; VII 46 viderier; VII 14 addier; V 41 convestirier.

2) Cf. Lucret. II 1097.

3) Sic scribo secutus Kirschwingium (l.l. pag. 32).

Iam in priore capite (60.) Arnobius docet quae sit vera solaque necessaria scientia, cuius homines unius indigeant: alia omnia esse supervacua. Pergit autem proximo capite eadem demonstrare, qua de causa expectari licet (cap. 61):

quid <*opus*> est, *inquam*, vobis investigare e. q. s.

Inquid, quod P exhibet, ex male intellecto compendio scripturae natum esse puto: *quam* et *quid* saepius confunduntur.

Opus est sane non crebro in hoc opere legitur, tamen occurrit VI 8 (pag. 220, 25 sqq.) hoc qui dicit et adserit deos esse non credit, nec habere convincitur suis religionibus fidem, cui *opus est* videre quod teneat e. q. s.

Hic statim agendum est de prioribus verbis capitis 64 (pag. 99, 10 sqq.), sed si generis Christus humani, inquitis, conservator advenit, quor omnino non omnes aequali munificentia liberat?

Ad hanc interrogationem auctor respondet interrogative: (p. 99, 12 sqq.) non aequaliter liberat qui aequaliter omnes vocat? aut ab indulgentia principali quemquam repellit aut despuit, qui sublimibus infimis servis feminis pueris uniformiter potestatem veniendi ad se facit? patet, *inquam*, omnibus fons vitae neque ab iure potandi quisquam prohibetur aut pellitur.

Hic quoque codicis P scripturae *inquid* substitui *inquam*, nam aliis verbis auctor eandem fere sententiam iterat.

II 61 (pag. 97, 10 sqq.) remittite haec deo atque ipsum scire concedite, quid quare aut unde sit, debuerit esse aut non esse, supernatum sit aliquid an ortus primigenios habeat, aboleri conveniat an reservari, exuri, dissolvi an repetita integritate renovari. vestris non est rationibus liberum, implicare vos talibus et tam remota <*sine*> *utilitate* curare.

Codicis lectio *inutilitate* a Sabaeo et Reifferscheidio mutata est in *inutiliter*. Quod dedi <*sine*> *utilitate*, secutus sum Arnobii genus dicendi, cf. sine ulla intermissione (pag. 171, 1); sine venia (pag. 198, 21); sine ulla differitate (pag. 261, 12 sq.); sine caelitum voluntate (pag. 271, 27) cet.

II 65 (pag. 100, 7 sqq.) immo, inquit, si deus est potens misericors conservator, convertat nobis mentes et invitos faciat suis pollicitationibus credere. vis ergo est ista, non gratia nec

dei liberalitas principis, sed ad vincendi studium puerilis atque <*vana*> animi contentio.

Supplementum meum commendatur locutionibus I 46 (pag. 31, 2) *vanis* imaginationibus; ibid. 47 (pag. 31, 14 sq.) *vana* ostentatione cet. Inserto autem vocabulo *vana* nihil amplius desidero, nam quae sequuntur (pag. 100, 11 sq.) quid est enim tam iniustum e. q. s. pertinent ad: vis ergo est ista cet. [1]).

III 40 (pag. 138, 18 sqq.) nec defuerunt qui scriberent Iovem, Iunonem ac Minervam deos Penates existere, sine quibus vivere ac sapere nequeamus, sed qui penitus nos regant ratione calore ac spiritu. ut videtis, et hic quoque nihil concinens dicitur, nihil una pronuntiatione finitur, nec est aliquid fidum, quo insistere mens possit veritati *suae* proxime suspicione coniciens.

Meiser l.l. pag. 28 proposuit: veritatis vi promiscuas suspiciones continens, quod nemini probavit. Sed omnia perspicua erunt, si mecum restitueris: quo insistere mens possit veritati *sita* [2]) proxime [3]) suspicione coniciens.

III 43 (pag. 140, 21 sqq.) usque adeo res exigit propriatim deos scire, nec ambigere nec dubitare de uniuscuiusque vi nominis, ne si alienis ritibus et appellationibus fuerint invocati, et aures habeant *structas* et piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos.

Legendum esse: et aures habeant *obstructas*, declarant haec verba V 21 (pag. 192, 6 sqq.) Iuppiter satagit fractus metu nec quibus remediis leniat violatae (sc. matris) animos reperit. fundit preces et subplicat: *obstructae* sunt dolentis aures. Tuentur praeterea meam coniecturam VII 11 (pag. 245, 27 sqq.) extinctis luminibus atque auribus *obseratis* et VI 4 (pag. 217, 7 sqq.) sub axe enim nudo et sub aetherio tegmine invocati (sc. dei) si fuerint, nihil audiunt, et nisi de proximo admoveantur his preces, tamquam nihil dicatur, *obstructi* atque immobiles stabunt.

---

1) Ergo non facio h. l. cum Kirschwingio scribente (l.l. pag. 17) sed ad vincendi studium puerilis atque <*iniqui*> *animalis* contentio.

2) Cf. II 61 (pag. 15 sq.) res vestra in ancipiti *sita* est.

3) Cf. I 8 (pag. 13 sq.) quod *proximum vero* est.

IV 36 (pag. 170, 28 sqq.) et audetis post ista mirari unde oriantur haec mala quibus inundatur et premitur sine ulla remissione mortalitas, cum omnis *res eas* quibus sunt involuta probra numinum et maledictionis elogia et cotidie referatis et ediscatis cotidie, et si quando animum desidem otiosis vultis alucinationibus occupari, dies vobis poscatis dari et sine ullis intermissionibus exhiberi.

Cum in hoc capite tum in superioribus Arnobius vehementer invehitur in turpissimas de deis fabulas, quae a poetis fictae interdum etiam in scena docentur. Unde elucet scribendum esse: cum omnis *historias* [1]), quibus sunt involuta probra numinum et maledictionis elogia et cotidie referatis e. q. s.

IV 37 (pag. 171, 18 sqq.) verum ita se res habet, ut quoniam plurimum gladiis et potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia iudicetis et esse *pro diis pios*, quorum potentias primi opinionem obscenitate foedastis.

Reifferscheid sedem vitii putat esse in *pro*, at Meiser in *pios*, ego in utroque vocabulo, nam haud scio an revocandum sit: et esse *diis propiores*, quorum potentias primi opinionem obscenitate foedastis. Sic certe totius huius loci color satiricus non modo servatur, sed etiam augetur. Cf. paulo supra cap. 35 (pag. 170, 4 sqq.) sedet cunctus populus et senatus, consulatibus functi patres, *diis proximi* atque augustissimi reges e. q. s.

V 1 (pag. 173, 2 sq.) Esto: ab ludentibus poetis cuncta illa sint prodita et ⟨*importata*⟩ immortalibus diis probra.

Importata supplevi commotus et allitteratione et hisce verbis similibus (V 4 pag. 176, 19 sqq.) ita non in promptu est et apparet puerilium esse ingeniola fictionum, quibus cum adquiritur cordis Numae vivacitas, inprudentia maxima *inportatur* Iovi?

V 6 (pag. 178, 16 sqq.) enititur (sc. Nana) parvulum (= Attidem) sed exponi Sangarius praecipit: repertum nescio quis sumit *formas*, lacte alit hirquino e. q. s.

---

1) Cf. V 14 (p. 187, 4) cum *historias*, quaeso, perlegitis tales nonne vobis videmini aut textriculas puellas audire taediosi operis circumscribentes moras aut e. q. s.

Meiser (l.l. pag. 30) requirit: ⟨*ob*⟩ formas, quod minus placet propter pluralem; potius credo integram lectionem fuisse *formosum* (= formosū), nam merito conferuntur haec verba (ibid. vs. 20 sq.) hunc unice mater deum, *ore* fuerat quod *excellentissimo* diligebat.

VI 5 (pag. 217, 29 sqq.) si omnes uno in tempore rebus divinis factis, quod sua quosque necessitas rogitare compellit, ⟨*postulent*⟩ poscantque de numine, referendi beneficii quaenam omnibus spes erit, si non undique ad se missam vocem deus exaudiet et erit ulla longinquitas, quo penetrare non possit auxilium poscentis oratio?

Inserui vocem, quam librarius similitudine priorum litterarum deceptus videtur praetermisisse; cf. VII 22 (pag. 255, 15) expetimus et optamus [1]).

VII 22 (pag. 255, 11 sqq.) atquin nos arbitramur nec virginem virgini oportuisse mactari, ne virginitas violaretur in pecude, qua dea plurimum pollet, nec Telluri gravidas atque fetas ob honorem fecunditatis ipsius, quam cuncti expetimus et optamus inextinguibili semper *fecunditate* procedere.

Meiser (l.l. pag. 36) referens *quam* ad Telluri, mutat *procedere* in *producere*; frustra ni fallor. *Procedere* h. l., ut saepius, significat durare, ergo fecunditate, quod male repetitur ex prioribus damnandum est. Edendo autem: quam cuncti expetimus et optamus inextinguibili semper *perpetuitate procedere* ipsius auctoris manum mihi videor restituere posse. Documento est II 30 (pag. 73, 6 sqq.) nam si verum est, animas nullius esse participes finis et *cum omnibus saeculis aevorum perpetuitate procedere*, quid periculi res habet .... voluptatibus se dare e. q. s.

Addi potest hoc exemplum I 34 (pag. 22, 16 sqq.) ipse (sc. deus) est enim fons rerum, sator saeculorum ac temporum. non enim ipsa per se sunt, sed ex eius *perpetuitate* perpetua et infinita semper continuatione *procedunt*.

Denique ne vox *inextinguibili* suspiciones moveat, describo

---

1) Meiser hanc rationem loquendi, quam vocat die Vorliebe des Arnobius für Doppelausdrücke, attigit l.l. pag. 32.

haec VI 7 (pag. 220, 2 sqq.): quod cum opprimi par esset et vetustatis obliteratione celari, conpositio nominis iecit in medium et cum suis causis per data sibi tempora *inextinguibili* [1]) fecit testificatione *procedere*, nec erubuit civitas maxima et numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum templo daret, ex Oli capite Capitolium quam ex nomine Iovio nuncupare [2]).

VII 34 Primum docet nos Arnobius homines nihil scire posse de deorum forma somno motu, tum sic pergit:

(pag. 268, 4 sqq.) haec omnia ut dixi nequeuntes scire neque ratione aliqua pervidere in eas sunt opinationes lapsi, ut deos ex se fingerent et qualis sibi natura est et illis talem darent actionum, *sensuum voluntatumque naturam.*

Sensuum recepit Reifferscheid pro codicum scriptura *rerum*. Coll. VII 48 (pag. 282, 18 sqq.) cum vero res ita sit, ut in magnis populis, nationibus, quinimmo et in civitatibus cunctis mixtum sit humanum genus *naturis voluntatibus moribus* tamque potuerint e. q. s. equidem ediderim: *morum* voluntatumque naturam.

VII 36 (pag. 269, 24 sqq.) discordias alios (sc. deos) ex his vos, alios dicitis qui pestilentias inrogent, alios qui amores, qui furias, alios vero qui praesint bellis et sanguinis effusione laetentur: at vero nos contra ab ingeniis numinum iudicamus esse ⟨*res istas cunctas*⟩ disiunctas, aut si sunt qui haec mala miserrimis inferant subiciantque mortalibus, ab deorum contendimus procul esse natura nec sub huius nominis praedicatione ponendos.

Supplementum meum [3]) tuentur haec verba Arnobiana VII 41 (pag. 273, 22 sq.) Habent quidem miraculi speciem .... cuncta ista quae dicta sunt.

VII 44 (pag. 277, 26 sq.) Quis est enim primum deos illos qui existimet aut esse qui credat, qui nocendi habeant saevien-

---

1) Cf. III 30 pag. 182, 6 ardoris *inextinguibili* vastitate.

2) Quem tractavimus locum VII 22 Gomperz (l.l. pag. 155) sic refinxit: inextinguibili semper <*fetus*> fecundidate *prodere*.

3) De lacunis in hoc opere obviis disputat Kirschwing l.l. pag. 9—28.

dique *naturas* easque abiciant rursus cyatho uno sanguinis et thuris suffitione molliti, qui motibus scaenicis et saltationibus histrionum festos dies ducant et hilaritatis plenissimas voluptates e. q. s.

Pro codicum lectione *naturam* scripsi *naturas* coll. VII 23 (pag. 256, 1 sq.) nam deos benignissimos dicere lenesque habere *naturas* et sanctum et religiosum et verum est.

Non solum hic auctor loquitur de deorum *naturis,* sed etiam de deorum numinumve *potentiis* (pag. 171, 20; 247, 31; de eorum *famis* (pag. 246, 14) et *amplitudinibus* (pag. 164, 7) cet.

VII 50 (pag. 283, 20 sqq.) Hannibalem illum Poenum hostem potentem ac validum, sub quo anceps et dubia res Romana contremuit et magnitudo trepidavit ⟨*civitatis*⟩, lapis ex Italia depulit, lapis fregit, lapis fugacem ac timidum suique esse dissimilem fecit? et quod rursus urbs exsiluit ad *imperii* columen e. q. s.

Ipsum Arnobium, quippe cuius elocutio numquam concisa sed semper verbosa sit [1]), genetivum *civitatis* inter *trepidavit* et *lapis* non omisisse mihi persuasum est. *Imperii,* quod editor inserere volebat minus aptum est, cum mox legatur: ad *imperii* columen.

VII 50 De eodem lapide pergit Arnobius interrogare hostes Christianorum:

(pag. 283, 27 sqq.) lapis aliis vires, aliis roboris infirmitatem dedit, hos secundis praecipitavit ab rebus, aliorum extulit stratas desperatione fortunas? et quis hominum credet terra sumptum lapidem, sensu agitabilem nullo, fuliginei coloris atque atri ⟨*informis*⟩ *corporis,* deum fuisse matrem?

Corporis hic non magis offendit quam VII 3 (pag. 239, 27 sq.) sed si deus ut dicitur nullius est *corporis* e. q. s. *Informis* autem dici lapis ille potest, quia fuit *inaequalis* (pag. 283, 17), et *indolatus* et *asper* (ibid. vs. 18), verum praecipue haec duo exempla me moverunt, ut *informis* adderem VI 11 (pag. 222, 11 sq.) ridetis temporibus priscis Persas fluvios coluisse, memorialia ut indicant scripta, *informem* Arabas *lapidem* e. q. s. et VI 13

1) Cf. imprimis VII 40 (pag. 273, 1 sq.) temporibus quondam *civitatis* et *reipublicae* duris e. q. s.

(pag. 225, 19 sqq.) quid est enim, si quaeras, cur Phidias ludere ac lascivire dubitaret, cum ante paululum temporis Iovem ipsum quem fecerat sciret aurum fuisse, *lapides* atque *ossa informia* disparata confusa e. q. s.

Non nisi raro Reifferscheid indicat auctores, quos Arnobius imitatus est expressitve, velut III 10 (Lucret. IV 1168 mammosa Ceres); III 16 (Enn. Sat. 45 simia quam similis, turpissima bestia, nobis!).

Fortasse expedit aliquot enumerare locos locutiones verba [1]), quae Arnobius ab aliis scriptoribus videtur mutuatus esse, sicut supra (ad II 43) paucis sane egimus de ratione, quae intercedit inter Arnobium et Plautum.

I 39 si quando conspexeram lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum, tamquam inesset vis praesens, adulabar, adfabar et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco.	Apul. Flor. 1 neque enim iustius religiosam moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita ... vel lapis unguine delibutus. Min. Fel. Octav. III 1 ut ... in lapides eum patiaris inpingere effigiatos sane et unctos et coronatos e. q. s.
I 46 procellarum turbines tempestatesque sidebant.	Sen. Phoen. 420 sq. Quis me procellae turbine insano vehens| volucer per auras ventus aetherias aget?
II 27 omnis enim passio leti atque interitus ianua est, ad mortem ducens via; cf. II 30 animae leti adeunt ianuas; V 28 ianuam Ditis.	Verg. Aen. II 661 patet isti ianua leto.
II 45 sub procellis ... tempestatibusque ... fortunae.	Apul. Met. X 4 procellam fortunae saevientis.
II 69 antequam Tages Tuscus oras contingeret luminis.	Lucret. I 22 sq. nec sine te quicquam dias in luminis oras| exoritur; cf. Enn. Ann. 118, 144.

1) Largam messem exemplorum praebet et Tschiersch l.l. pag. 9—28.

II 1 numquid libidinum cupiditatibus gestiens pudicitiae repagula vi fregit (sc. Christus) aut alienis furtim insidiatus est matrimoniis?

Cic. In Verr. II 5, 39 ut omnia repagula pudoris officiique perfringeres, ut . . . nullius domus clausa, . . . nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem et audaciam posset esse.

III 7 sed quid aucupia verborum splendoremque sermonis peti ab hoc dicam. . . .

Cic. Pro Caec. § 65 tum aucupia verborum et litterarum tendiculas in invidiam vocant. . .

III 13 quae sub costis earumque sub cratibus cutes contegunt.

Apul. Met. IV 12 diffusaque crate costarum; cf. Verg. Aen. XII 508.

III 21 ipse alio impletur deo et vi numinis premitur[1]) exagitaturque maioris.

Ovid. Fast. VI 538 Fitque sui toto pectore plena dei.

cf. I 62 vi ut dicitis Apollinis plena (sc. Sibylla).

Min. Fel. Octav. VII 6 pleni et mixti deo vates.

III 26 discordiarum et discriminum causas inter gentes serere.

Verg. Aen. VII 339 sere crimina belli. (Liv. III 40, 10; XXIV 23, 10 cet.).

III 44 in sublimibus palatiis caeli (cf. III 10 in chalcidicis illis magnis atque in palatiis caeli).

Ovid. Met. I 176 magni . . . Palatia caeli.

IV 5 si orientem solem respexero, cardo mihi frigoris et septentrio fit laevus.

Sen. Herc. [fur.] 1139 sq. ubi sum? sub ortu solis, an sub cardine | glacialis ursae?

IV 20 uxores enim dii habent atque in coniugalia foedera . . . veniunt.

Ovid. Met. XI 743 sq. Tunc quoque mansit amor, nec coniugiale solutum | foedus in alitibus.

IV 26 senex Saturnus iamdudum obsitus canis atque annorum vetustate.

Terent. Eun. 236 video sentum squalidum aegrum, pannis annisque obsitum. (cf. infra Suet. Cal. XXXV 2).

---

1) Cf. Verg. Aen. VI 79 sq. tanto magis ille fatigat | os rabidum . . . . fingitque *premendo*.

IV 27 ipsam illam Venerem Aeneadum matrem.	Lucret. I 1 sq. Aeneadum genetrix ... alma Venus.
IV 35 sedet cunctus populus et senatus consulatibus functi patres, diis proximi atque augustissimi reges. (Cf. Liv. IX 17, 14).	Plut. Pyrrh. 19 λέγεται δὲ Κινέαν ... εἰπεῖν, ὡς ἡ σύγκλητος αὐτῷ βασιλέων πολλῶν συνέδριον φανείη. Flor. I 13, 20 cum ... legati ... senatum regum esse consessum confiterentur.
V 2 quid primum, quid ultimum vel exsequatur animus vel conticiscat, nec facile dictu est e. q. s.	Odyss. IX 14 τί πρῶτόν τοι ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω [1]); cet.
VI 4 hoc est enim proprium deorum complere omnia vi sua, non partiliter uspiam sed ubique esse totos ... non cenatum ad Aethiopas pergere.	Iliad. I 423 Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.
VI 5 apud ultimam Thylen.	Verg. Georg. I 30 ultima Thule.
VI 16 non videtis spirantia haec signa (cf. infra Val. Max. VIII 11, 4).	Verg. Aen. VI 847 excudent alii spirantia mollius aera.

1) Cf. Senec. Agam. 649 sq.

quid nunc primum, dolor infelix,
quidve extremum deflere paras?

CAP. II.

L'*Octavius* de Minucius Felix „a toujours fait le charme des délicats" et il nous paraît, sous tous les rapports, digne d'être expliqué dans les classes: tous ceux qui ont étudié ce petit dialogue lui ont rendu cette justice qu'au point de vue des idées, de la composition et du style, il mérite d'être rangé parmi les chefs-d'oeuvre de la littérature latine.

J. P. Waltzing (Octavius de M. Minucius Felix 1909. Préface).

Ad M. Minucii Felicis Octavium.

Arnobiana excipiantur Minucianis paucis. Caecilius accusans Christianos, quod sibi aeternam beatitudinem ethnicis perpetuam poenam contendant esse destinatam cum aliis utitur verbis tum hisce

XI 5 Hoc errore decepti beatam sibi, ut bonis, et perpetem vitam mortui pollicentur, ceteris, ut iniustis, poenam sempiternam. Multa ad haec subpetunt, ni festinet oratio. Iniustos ipsos magis nec laboro, iam docui: quamquam, etsi iustos darem, culpam tamen vel innocentiam *novi* fato tribui sententiis plurimorum.

Ita scriptum est in recentissima editione, quam debemus Waltzingio. Equidem voci insertae *novi* substituerim *aio,* quod facilius excidere potuit ante *fato* neque minus ad sententiam videtur quadrare. Consentaneum autem est patronum religionis Romanae *dicendi* verbum hic vitasse, cum legatur in continuo sequentibus: Et haec vestra consensio est; nam quicquid agimus ut alii fato ita vos deo *dicitis* e. q. s.

Nemo non leget summo cum fructu et gaudio elenchum tot

locorum similium ab editore novissimo in imis paginis Teubnerianae indicatorum. Fortasse praeter exempla a Waltzingio congesta possunt comparari etiam hi loci:

Min. Fel. Octav. XVIII 6 Quando umquam regni societas [1]) aut cum fide coepit aut sine cruore discessit?

Liv. I 14, 3 eam rem (sc. mortem regis Tatii) minus aegre, quam dignum erat, tulisse Romulum ferunt, seu ob infidam societatem regni e. q. s.

Curt. Ruf. X 9, 1 Sed iam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia, nam et insociabile est regnum et a pluribus expetebatur.

Tac. Ann. XIII 17 In campo tamen Martis sepultus est (sc. Britannicus), adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes.

ibid. Generi et soceri [2]) bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit.

Nep. Dion. VI 4 Non tulit hoc animo aequo Dion et versum illum Homeri rettulit ex secunda rhapsodia [3]), in quo haec sententia est: non posse bene geri rem publicam multorum imperiis.

XXIII 6 Quid? ipse Iuppiter vester . . . cum Hammon dicitur, habet cornua . . . et cum Latiaris, cruore perfunditur [4]).

Tertull. Apoll. IX 5 Ecce in illa religiosissima urbe Aeneadarum piorum est Iuppiter quidam, quem ludis suis humano sanguine proluunt.

---

1) Componatur etiam Ovid. A. A. III 564 (cf. infra ad Senec. Ag. 259). Non bene cum sociis regna Venusque manent.

2) Cf. Catull. XXIX 24 socer generque perdidistis omnia?

3) Iliad. II 204 οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

4) Cf. Wissowa Relig. u. Kult. d. Röm. pag. 124 A. 8 (2e Aufl.).

XXIV 1 (poetae) qui plurimum quantum veritati ipsi . . . nocuerunt. (cf. XL 1 Ego Octavio meo plurimum quantum, sed et mihi gratulor).	Flor. II 13, 74 plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum et pro uno duos stare Pompeios.
XXV 1 Nimirum insignis et nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est!	Arnob. II 66 commune est omnibus et ab ipsis paene incunabulis traditum bona malis anteferre. Amm. Marcell. XXVII 6, 8 non rigido cultu ab incunabulis ipsis ut nos educatum.
XXXVII 7 Miseri in hoc altius tolluntur, ut decidant altius.	Senec. Ag. 101 quidquid in altum Fortuna tulit, ruitura levat.

Emendatur Tertull. Apol. XXV 11.

> .... hier (handhabt) seit Tacitus zum erstenmale wieder ein machtvolles Ingenium die lateinische Sprache.
>
> R. Heinze (Tertullians Apologeticum S. 288).

Nihil impedit quominus hic haec Tertulliani Apologetici verba corrigere conemur:

XXV § 10 Plures deos vestros regnasse certum est. Igitur si conferendi imperii tenent potestatem, cum ipsi regnarent, a quibus acceperant eam gratiam? Quem coluerat Saturnus et Iuppiter? aliquem, opinor, Sterculum. Sed postea Romani cum indigitamentis suis. § 11 Etiam si qui non regnaverunt, tamen regnabatur ab aliis nondum cultoribus suis, ut qui nondum dei habebantur. Ergo aliorum est regnum dare, qui regnabatur multo ante quam isti dei *inciderentur*.

Locum subdifficilem dilucide explicavit R. Heinze [1]), qui ad ultimum verbum *inciderentur* observat: Die von Oehler erwähnte anonyme Konjektur *indicerentur* ist annehmbar [2]). Sed vide ne potius legendum sit *dicerentur*, quod vix differret a praecedente *habebantur*. Post *dei* ex *dicerentur* facile oriri potuit *īdicerentur* (= indicerentur), cui librarium *inciderentur* substituisse puto. Verba *dici* et *haberi* satis arte coniunguntur etiam XLIX 2 Itaque non expedit, falsa *dici* nec inepta *haberi*, quae expedit vera praesumi.

1) Richard Heinze Tertullians Apologeticum (Ber. Kön. Sächs. Ges. d. W. zu Leipzig 1910. 62 Bd.) pag. 422—423.

2) Cf. l.l. Adnotat. 1 pag. 422.

CAP. III.

> Qui quidem scriptor non est magnus nec tamen inutilis aut indignus est, in quem tantum operae a peritissimis criticis doctissimisque editoribus consumptum sit.
> I. Vahlen (Ind. lect. 1894 pag 4).

Ad Valerii Maximi Factorum et Dictorum Memorabilium Libros novem [1]).

I 8, 4 Fortunae etiam Muliebris simulacrum, quod est Latina via ad quartum miliarium, eo tempore cum aede sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio urbis maternae preces reppulerunt, non semel sed bis locutum constitit *prius* his verbis: „rite me, matronae, dedistis riteque dedicastis".

Wilamowitz locum corruptum sanare volebat legendo: *perspicuis verbis* pro *prius his verbis*. At propememodum eundem sensum obtinebis, si una tantum littera addita mecum edideris: bis locutum constitit *p⟨u⟩rius* his verbis e. q. s.

Pure vero accipiendum est eo sensu, quo posuit Horatius Sat. I 2 (si interdicta petes . . . multae tibi tum officient res . . .) vs. 100 plurima quae invideant *pure* adparere tibi rem.

Ceterum Valerius comparativos, quorum vim adverbium *satis* (vel *nimium*) positivo adiectum exprimere potest, saepe adhibet, velut IV 1 Ext. 2 cum . . . *vehementius* exarsisset; IX 3, 8 quod . . . *cunctantius* daret; IX 7 Mil. Rom. 3 disciplinam militarem *praefractius* et *rigidius* astringere conatum cet.

---

1) Textum dedi secundum Kempfii recensionem (Lipsiae 1888).

2) Adiectivum *purus* vulgarem significationem induit VII 2 Ext. 8 ut non solum manus, sed etiam mentes *puras* habere vellemus.

II 4, 2 ceterum auctore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subiectum hastae venire placuit, atque etiam senatus consulto cautum est ne quis in urbe propiusve passus mille subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum standi virilitas *propria* Romanae gentis *nota* [1]) esset.

Si animadvertimus *n̄* compendium scripturae esse pro *non* et *a* interdum confundi cum *d* probabile est librarium *non de* per haplographiam quandam post *notam* praetermisisse primariamque lectionem fuisse: ut scilicet remissioni animorum standi virilitas propria Romanae gentis nota ⟨*non de*⟩*esset.*

Deesse certe frequenter occurrit in Val. Max. libris cf. III 1, 2 Hic spiritus ne M. quidem Catonis pueritiae *defuit*; ibid. paulo infra (pag. 110, 2) non voluntatem hominibus, sed facultatem *deesse*; III 2, 3 nec incepto eius fortuna *defuit* cet.

II 8, 7 Q. Catulus M. Lepido collega suo cum omnibus seditionis *copiis extinctoque tum* moderatum prae se ferens gaudium in urbem revertit.

Refinxerim locum facili errore librarii misere habitum sic fere: Q. Catulus M. Lepido collega suo cum omnibus seditionis copiis ⟨*oppressis*⟩ extinctoque *tum*⟨*ultu*⟩ moderatum prae se ferens gaudium in urbem revertit.

Valerio autem nihil usitatius est quam *opprimendi* verbum cf. II 8, 2 ni ... Panica classis esset *oppressa*; V 1 Ext. 1 nivali tempestate *oppressus*; VII 5, 2 qui (sc. P. Scipio Nasica) multas et pestiferas seditiones auctoritatis suae robore *oppressit* cet.

III 2, 19 Sed ut armorum togaeque prius, nunc etiam siderum clarum decus, divum Iulium, certissimam verae virtutis effigiem repraesentemus, cum innumerabili multitudine et feroci impetu Nerviorum inclinari aciem suam videret, timidius pugnanti militi scutum *detraxit* eoque tectus acerrime proeliari coepit. quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit labentemque belli fortunam divino animi ardore restituit. idem alio proelio legionis Martiae aquiliferum ineundae fugae gratia iam conver-

---

1) Locutio *propria nota* redit VIII 11 Ext. 3.

sum faucibus comprehensum in contrariam partem *detraxit* dexteramque ad hostem tendens „corsum tu", inquit, „abis? illic sunt cum quibus dimicamus".

Totum locum exscripsi, ut intellegeretur alterum *detraxit* perperam repetitum esse ex priore. Verbum autem expulsum fuit fortasse *detorsit* [1]), nam non dubito quin hic Valerius ante oculos habuerit versus Vergilianos Aen. XII 371 sqq.

non tulit instantem Phegeus animisque frementem, (sc.
obiecit sese ad currum et spumantia frenis Turnum)
ora citatorum dextra *detorsit* equorum.

V 1, 7 Proxima paragrapho (§ 6) narratum est Scipionem Africanum Minorem Carthagine expugnata simulacra deorum olim a Poenis rapta civitatibus Siciliae restituisse. Deinde auctor sic pergit:

Huic facto par eiusdem viri *humanitas*. a quaestore suo hastae subiectos captivos vendente puer eximiae formae et liberalis habitus missus est. de quo cum explorasset Numidam esse, orbum relictum a patre, educatum apud avunculum Masinissam, eo ignorante inmaturam adversus Romanos ingressum militiam, et errori illius veniam dandam et amicitiae regis fidissimi populo Romano debitam venerationem tribuendam existimavit. itaque puerum anulo fibulaque aurea et tunica laticlavia Hispanoque sagulo et ornato equo donatum datis qui eum prosequerentur equitibus ad Masinissam misit, eos victoriae maximos fructus ratus, dis ornamenta, hominibus sanguinem suum restituere.

Qui haec omnia perlegerit sine ullo negotio corriget: Huic facto par eiusdem viri 〈*talis*〉 *humanitas*. cf. paulo infra § 11 (init.) M. etiam Antoni animus *talis humanitatis* intellectu non caruit cet. Neminem vero fugit *talis humanitas* efficere dicreticum, quae est optima clausula [2]).

VI 1, 11 Libidinosi centurionis supplicium M. Laetori Mergi

---

1) Idem placuit Kempfio.

2) Cf. Victor Muench De Clausulis a Valerio Maximo adhibitis (Vratislaviae 1909) § 2 pag. 8 sqq.

tribuni militaris *aeque similis* foedus exitus sequitur. cui Cominius tribunus pl. diem ad populum dixit, quod cornicularium suum stupri causa adpellasset. nec sustinuit eius rei ⟨*con*⟩*scientiam* Laetorius e. q. s.

Vocabulum *aeque* corruptum esse multi viderunt. Quod adverbium scriptum *ęq.* similitudinem quandam habet cum compendio scripturae notissimo pro *con*, quocirca mihi persuasum est reponendum esse: *consimilis* foedus exitus sequitur.

Maxime autem notabile est etiam substantivi ⟨*con*⟩*scientiam*, quod mox sequitur, syllabam *con* in codd. omissam esse.

Ceterum *consimilis* sescenties Valerius adhibet, velut I 1, 3 in *consimili* re; ibid. § 4 *consimili* ratione; II 9, 2 *consimili* genere animadversionis; IX 12, 7 *consimili* impetu mortis cet. [1]).

VI 3, 1 *c* Eadem ausum Sp. Maelium consimili exitu patria multavit. area vero domus eius, quo iustitia supplicii notior ad posteros perveniret, Aequimeli appellationem traxit. quantum ergo odii adversus hostes libertatis insitum animis antiqui haberent parietum ac tectorum, in quibus versati fuerant, ruinis testabantur. ideoque et M. Flacci et L. Saturnini seditiosissimorum civium corporibus trucidatis penates ab imis fundamentis eruti sunt. ceterum Flacciana area cum diu *pene* vacua mansisset, a Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est.

Ipsi codices variant, nam exhibentur lectiones *pene*, *pena*, *penatib.*, sub quibus latere videtur *penitus*. Causa autem corruptionis, quod nemo non videt, est *penates*, quae vox paulo ante legitur. *Vacuus* vero apud scriptores pedestris certe orationis [2]) gradum superlativum non admittit, qua de causa valde verisimile est Valerium hic scripsisse *penitus vacua*. Cf. Vell. Paterc. II 27 At Pontius Telesinus, dux Samnitium, vir domi bellique fortissimus *penitusque* Romano nomini infestissimus e. q. s.

---

1) Guilelmus Heraeus (Spicilegium criticum in Valer. Maxim. eiusque epitomat. Jahrb. für class. Phil. XIX Suppl.) qui tam multa sagaci acumine invenit, hoc loco minus feliciter meo quidem iudicio proposuit (pag. 610) tribuni militaris *aeque foedi similis* exitus.

2) Ovidius Ex Pont. III 1, 141 usurpat *vacuissima*, quocum conferas, quaeso, Heroid. XIV 115 *exiguissima*, de quibus superlativis legenda sunt quae exposuit Ehwald Progr. Goth. 1900 pag. 25.

Apud ipsum Valerium invenimus III 2 Ext. 5 Epaminondas .... deinde an *penitus* fusi hostes forent interrogavit; VII 2 Ext. 5 quem, si quis *penitus* cognoscat; VIII 7 Ext. 10 ut ad ea, quae scripsit, *penitus* cognoscenda longa vita sit opus cet.

VI 9, 14 Iam C. Marius ⟨*maximus*⟩ maximae fortunae luctatione: omnes enim eius impetus qua corporis qua animi robore fortissime sustinuit.

Facile intercidere potuit adiectivum a me insertum. Similiter Kempf manum scriptoris restituit VII 4, 2 cognito adulescens silentio simul ac patris facto causam alterius, ⟨*alterius*⟩ argumentum pervidit nec ignoravit praecipi sibi ut excellentissimum quemque Gabinorum aut exilio summoveret aut morte consumeret. Iam multo ante correctum erat pari modo VII 3, 6 duos enim in conspectu eorum constituit equos, validissimum alterum, ⟨*alterum*⟩ infirmissimum e. q. s.

IX 2 Ext. 6 Ochus autem, qui postea Darius appellatus est sanctissimo Persis iure iurando obstrictus ne quem ex coniuratione quae septem magos cum eo oppresserat, aut veneno aut ferro aut ulla vi aut inopia alimentorum necaret, crudeliorem mortis rationem excogitavit, qua *hosustos* sibi non perrupto vinculo religionis tolleret.

Editori assentior conicienti librarium *hos* depravisse ex *homines*, verum *ustos* ortum esse puto ex *conscios*, cuius prima syllaba esset scripta per compendium, de quo supra egi (VI 1, 11).

IX 11 Ext. 4 De Seiani scelere Valerius cum alia scripsit tum haec:

tu videlicet efferatae barbariae immanitate truculentior habenas Romani imperii, quas princeps parensque noster salutari dextera continet, capere potuisti? aut te conpote *furoris* mundus in suo statu mansisset? urbem a Gallis captam et trecentorum inclytae gentis virorum strage foedatum amnem Cremeram et Alliensem diem et oppressos in Hispania Scipiones et Trasimennum lacum et Cannas bellorumque civilium *domestico sanguine manantis furores* amentibus propositis *furoris* tui repraesentare et vincere voluisti.

Ecce ter adhibitum substantivum *furor* paene in eadem sententia. Secundum vero, sive male iteratum sive praeceptum (quod potius credo), genuinam vocem extrusit. Fieri autem potest ut primaria lectio fuerit *Philippos* utque hic Valerius, qui non semel Vergilium imitatus est, oratione designaverit hos versus Georg. I 489 sqq.

ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre *Philippi* [1])
nec fuit indignum superis bis *sanguine nostro*
Emathiam et latos Haemi *pinguescere* campos.

Res ipsa videtur monere ut hic quoque aliquot ὁμοιότητας afferamus.

Val. Max. I 1, 5 occentusque soricis auditus Fabio Maximo dictaturam ... praebuit.	Amm. Marcell. XVI 8, 2 nam si super occentu soricis ... consuluisset quisquam peritum e. q. s.
I 1, 11 victricium armorum perinde victor [2]); cf. I 5, 5 arma Sullae victricia; VI 6 Ext. 1 victricibus Hannibalis armis.	Verg. Aen. III 54 Res Agamemnonias victriciaque arma secutus.
I 5, 3 decesserat autem catellus, quem puella in deliciis habuerat.	Senec. Apocoloc. 13 subalbam canem in deliciis habere adsueverat [3]).
III 5, 4 in maximo et ingeniosorum civium et amplissimorum proventu. (cf. VI 9, 5 in maximo clarissimorum virorum proventu).	Plin. Epist. I 13 1 Magnum proventum poetarum annus hic attulit.

---

1) Cf. Forbigeri explicatio, cui subiungenda sunt ea, quae luculenter exposuit Heraeus (Philol. Vol. LIX pag. 440). Cuius ex commentatione de Nepotiani verbis (I 7, 2 Kempf. pag. 602) „Octavianus Augustus aeger in castris *Pharsalicis* erat. cumque apud *Philippos* luce ventura certaturae civili inter se bello Romanae manus essent e. q. s. hanc modo sententiam describo: Aber in späterer Zeit scheint die Meinung allgemein gewesen zu sein, dasz Philippi wie Pharsalus in Thessalien liege, bezw. identisch seien.

Ipse Valerius bene distinguit inter Pharsalicam pugnam et Philippense proelium; cf. I 5, 6 et 7 cet.

2) Cf. IX 3, 5 quotiens victoriae victrix (sc. ira). Haec omnia exempla desiderantur apud Forbigerum ad Verg. Aen. III 54.

3) Cf. Cic. de div. I 76 simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat. Sueton. Tib. LXXII 2 erat ei in oblectamentis serpens draco.

V 1, 4 Age, M. Marcelli clementia quam clarum quamque memorabile exemplum haberi debet! qui captis ab se Syracusis in arce earum constitit, ut urbis modo opulentissimae, tunc adflictae fortunam ex alto cerneret. ceterum casum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit [1]).

Plut. Marc. 19 Αὐτὸς μέντοι λέγεται κατιδὼν ἄνωθεν καὶ περισκεψάμενος τῆς πόλεως τὸ μέγεθος καὶ τὸ κάλλος ἐπὶ πολὺ δακρῦσαι τῷ μέλλοντι γίνεσθαι συμπαθήσας.

Tum sic pergit Val. Maximus: quem si quis ignarus viri aspexisset, alterius victoriam esse credidisset.

Plutarchus de Thebanis eorumque sociis Pelopidae mortem lugentibus scribit cum alia tum haec (Pelop. 33) σιγὴν δὲ καὶ κατήφειαν εἶναι τοῦ στρατοπέδου πάντος, ὥσπερ οὐ νενικηκότων ἐπιφανεστάτην νίκην καὶ μεγίστην, ἀλλ' ἡττημένων ὑπὸ τοῦ τυράννου καὶ καταδεδουλωμένων.

V 4, 1 uniusque parentis aspectus bellum atrox salutari pace mutavit.

Sall. Bell. Cat. LVIII 15 nemo nisi victor pace bellum mutavit.

VI 3, 5 Aeque tenax propositi L. Domitius.

Horat. C. III 3, 1 Iustum et tenacem propositi virum e. q. s.

VIII 1, 2 cum . . . Ser. Galba . . . vehementer increparetur, quod Lusitanorum magnam manum interposita fide . . . interemisset e. q. s.

Sall. Bell. Iug. XXXII 1 Memmius populo persuadet, uti L. Cassius . . . (Iugurtham) interposita fide publica Romam duceret.

VIII 11, Ext. 4 Cuius coniugem (= Venerem) Praxiteles in marmore quasi spirantem in templo Cnidiorum collocavit.

Verg. Aen. VI 847 excudent alii spirantia mollius aera. Cf. Arnob. supra ad VI 16.

IX 1, 5 Attalicis aulaeis contectos parietes laeto animo intuebatur.

Propert. II 32, 12 (Pompeia) porticus, aulaeis nobilis Attalicis.

1) Cf. Liv. XXV 24, 11.

CAP. IV.

> Sueton Plutarch und Tacitus, wie sie sich im gleichen Zeitalter treffen, bedeuten für uns eine Höhe der biographischen Litteratur.
>
> F. Leo (Griech.-Röm. Biographie S. 321).

Suetoniana.

Div. Iul. LXXXVI 1 Suspicionem Caesar quibusdam suorum reliquit neque voluisse se diutius vivere neque curasse quod valitudine minus prospera uteretur, ideoque et quae religiones monerent et quae renuntiarent amici neglexisse. sunt qui putent, confisum eum novissimo illo senatus consulto ac iure iurando etiam custodias Hispanorum cum gladiis *adinspectantium* se removisse.

Adinspectantium plerique viri docti reiciendum esse censuerunt [1]) neque Ihm, cuius textum sequor, integrum putavit. Hic editor requisivit *adsectantium*, melius, ut mihi quidem videtur, Casaubonus *sectantium*; sed quid sibi vult illud: *adin*? Credo librarium genuinam lectionem *assidue* (vel *adsidue*) inter *gladiis* et *sectantium* similitudine litterarum deceptum depravisse.

Hoc adverbium mire adamat Suetonius cf. Cal. LII *assidue* gestavit; Claud. XLI *assidue* recitavit; Ner. LIII luctabatur *assidue*; Galb. III 1 *assidue* uteretur; Vesp. XIX 1 convivabatur *assidue*; Domit. IV 1 spectacula *assidue* magnifica et sumptuosa edidit cet.

---

1) Preud'homme tamen traditam memoriam probavit.

Div. Aug. XVII 3 ab Actio cum Samum in hiberna se recepisset, turbatus nuntiis de seditione praemia et missionem poscentium, quos ex omni numero confecta victoria Brundisium praemiserat, repetita Italia tempestate in traiectu bis conflictatus, primo inter promunturia Peloponnensi atque Aetoliae, rursus circa montes Ceraunios utrubique parte liburnicarum demersa, simul eius, in qua vehebatur, fusis armamentis et gubernaculo diffracto; nec amplius quam septem et viginti dies, donec ⟨*negotia*⟩ ad desideria militum ordinarentur, Brundisii commoratus, Asiae Syriaeque circuitu Aegyptum petit obsessaque Alexandrea, quo Antonius cum Cleopatra confugerat, potitus est.

Quod addidi vocabulum, commendatur hisce exemplis Aug. XXXIII 3 quos (sc. consulares) singulos cuiusque provinciae *negotiis* praeposuisset; ibid. XCVIII 5 neque post ulli maiori *negotio* animum accommodavit; Vesp. XXI postque decisa quaecumque obvenissent *negotia* cet.

Div. Aug. XCVI 1 Quin et bellorum omnium eventus ante praesensit. contractis ad Bononiam triumvirorum copiis aquila tentorio eius supersedens duos corvos hinc et inde infestantis afflixit et ad terram dedit, notante omni exercitu futuram quandoque inter collegas discordiam talem qualis secuta est, atque exitum praesagiente. ⟨*Petenti*⟩ Philippos Thessalus quidam de futura victoria nuntiavit auctore Divo Caesare, cuius sibi species itinere avio occurrisset.

Participium a me insertum maxime congruit cum usu Suetoniano, quod declarant cum alia exempla tum haec Aug. XVII 3 Aegyptum *petit*; Galb. IV 1 Ser. Galba ... natus est VIIII. Kal. Ian. in villa colli superposita prope Tarracinam sinistrorsus Fundos *petentibus*; Oth. VII 1 Palatium *petit*; Vesp. XXIV Cutilias ac Reatina rura *petit*; Tit. V 3 postquam Alexandriam *petens* ...; ibid. X Sabinos *petit* aliquanto tristior; Ner. XXXIV *repetentique* Baulos cet.

Div. Aug. XCVIII 3 sed et ceteros continuos dies inter varia munuscula togas insuper ac pallia distribuit, lege proposita ut Romani Graeco, Graeci Romano habitu et sermone uterentur. spectavit assidue exercentes ephebos, quorum aliqua adhuc copia

ex vetere instituto Capreis erat; isdem etiam epulum in conspectu suo praebuit permissa, immo exacta iocandi licentia diripiendique pomorum et obsoniorum rerumque . . . missilia.

Cum et *poma* et *obsonia* missilia sint, in lacuna desidero non ⟨*omne genus*⟩, id quod Polak supplevit, sed requiro: rerumque ⟨*id genus*⟩ missilia; cf. Aug. LXXV interdum nihil (sc. dividebat) praeter cilicia et spongias et rutabula et forcipes atque alia *id genus*; Claud. XXXIV 2 praeterque destinatos etiam levi subitaque de causa quosdam committeret, de fabrorum quoque ac ministrorum atque *id genus* numero.

Domit. XIV 1 Per haec terribilis cunctis et invisus, tandem ⟨*opera*⟩ oppressus est amicorum libertorumque intimorum simul et uxoris.

Hoc loco paucis de Domitiani morte auctor agit, sed fusius infra cap. XVII ubi legimus: De insidiarum caedisque genere haec fere divulgata sunt. cunctantibus conspiratis, quando et quo modo, id est lavantemne an cenantem adgrederentur, Stephanus, Domitillae procurator et tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium *operamque* [1]) obtulit.

Itaque ex his ultimis verbis supplementum meum *opera* hausi; at Ihm lacunam statuit inter *est* et *amicorum*.

Hic quoque aliquot loci similes commemorentur.

Suet. Div. Iul. LX 1 Proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat ac saepe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus.

Div. Iul. LXII Inclinatam aciem solus saepe restituit obsistens fugientibus retinensque singulos et contortis faucibus convertens in hostem et quidem adeo plerumque trepidos, ut

Non. Marc. IV i. v. Spurcum. (Lindsay. pag. 632) M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II (fr. 13) „cum iter facerem ad Aquilam Claternam tempestate spurcissima".

Liv. II 10, 3 qui (sc. Horatius Cocles) cum . . . citatos decurrere hostes vidisset trepidamque turbam suorum arma ordinesque relinquere, reprehensans singulos, obsistens e. q. s.

1) Livius quoque iunxit *consilium* et *opera* nempe IX 10, 4 emersisse civitatem ex obnoxia pace illius (sc. Postumii) consilio et opera.

aquilifer moranti se cuspide sit comminatus, alius in manu detinentis reliquerit signum.

Val. Max. III 2, 19 idem (sc. Divus Iulius) alio proelio legionis Martiae aquiliferum ineundae fugae gratia iam conversum faucibus conprehensum in contrariam partem detorsit [1]) e. q. s.

Div. Aug. LXXXI 1 destillationibus iocinere vitiato ad desperationem redactus.

Amm. Marcell. XIV 11, 24. Scudilo destillatione iecoris pulmones vomitans interiit.

Ibid. XCIV 9 M. Cicero ... somnium ... narrabat: puerum facie liberali demissum e caelo e. q. s.

Liv. VIII 9, 10 sicut caelo missus (sc. Decius Mus).

Amm. Marcell. XXII 2, 4 effundebatur aetas omnis et sexus tamquam demissum aliquam visura de caelo (sc. Iulianum).

Ibid. XCIV 9 cuius imago secundum quietem sibi obversata sit.

Cic. de div. II 135 tum secundum quietem visus ei dicitur draco e. q. s. Cf. ibid. I 43; 48; II 124 cet.

Tib. XI 1 amoenitate et salubritate insulae captus.

Vell. Pat. LXXXI 2 aqua promissa, quae hodieque singulare et salubritatis instrumentum et amoenitatis ornamentum est.

Ibid. his modicis contentus aedibus nec multo laxiore suburbano e. q. s.

Vell. Pat. LXXXI 3 contractas emptionibus complures domos ... quo laxior fieret ipsius.

Tib. XXII nam mox silentio rem obliteravit; Ner. XL 4 rem silentio obliteravit.

Val. Max. IX 9, 2 obliteranda silentio virtus; Liv. XLIII 2, 12 praeteritis silentio obliteratis.

Cal. V regum etiam regem ... exercitatione venandi ... abstinuisse.

Plaut. Capt. 825 Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior [2]).

Senec. Agam. 39 rex ille re-

1) Sic edendum censeo cum Kempfio, cf. supra ad hunc locum.

2) Cf. Flor. I 22, 35 urbemque urbium; II 26 barbari barbarorum. Plaut. Trin. 209 dum vivit victor victorum cluet.

Cal. XXXV 2 (Aesium Proculum) constringi sine mora iussit et pannis obsitum vicatim circumduci.

(cf. supra Arnob. IV 26).

Cal. XXXV 3 nullus denique tam abiectae condicionis tamque extremae sortis fuit.

(cf. Div. Aug. XIX 1 nam ne ultimae quidem sortis hominum conspiratione ... caruit).

Div. Claud. IV si de singulis articulis temporum deliberabimus ... (sunt verba Augusti).

Div. Claud. XXXVII 2 alter (sc. Narcissus) ante lucem similis attonito patroni cubiculum inrupit.

Ner. XXIX comperi persuasissimum habuisse eum ... plerosque dissimulare vitium et callide optegere.

Ner. LII Liberalis disciplinas

gum, ductor Agamemnon ducum. cf. ibid. vs. 291.

Terent Eun. 236 video sentum squalidum aegrum, pannis annisque obsitum.

Val. Max. II 10, 6 servus publicus natione Cimber et senem et inermem et squalore obsitum ... adgredi non sustinuit. ibid. V 1, 1 f. Rex eius Ptolomaeus ... squalore obsitus Romam venerat; cf. VII 3 Ext. 5; IX 10, 1 cet.

Flor. I 30, 3 quippe regnum ... vir ultimae sortis Andriscus invaserat.

ibid. II 8, 2 illi (sc. servi) infimae sortis homines.

Val. Max. IV 2, 1 in aspero ac difficili temporum articulo. Cic. Pro Quinct. § 19 in ipso articulo temporis.

Amm. Marcell. XVI 12, 45 extremae necessitatis articulo circumventos. (ibid. XX 11, 22 cet.).

Curt. Ruf. III 5, 11 in quo ... articulo rerum mearum cet.

Ovid. Met. V 509 sq. Mater ad auditas stupuit ceu saxea voces | attonitaeque diu similis fuit.

Sall. Bell. Iug. XV 4 Aemilius Scaurus ... avidus potentiae honoris divitiarum, ceterum vitia sua callide occultans.

Tac. Agric. IV memoria teneo

omnis fere puer attigit. sed a philosophia eum mater [1]) avertit monens imperaturo contrariam esse.

solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris [1]) incensum ac flagrantem animum coercuisset.

Div. Vesp. XXI postque decisa quaecumque obvenissent negotia gestationi et inde quieti vacabat.

Horat. Ep. I 7, 55 sqq. it, redit et narrat, Volteium nomine Menam | . . . gaudentem parvisque sodalibus et lare certo | et ludis et post decisa negotia Campo.

Div. Tit. VIII 1 atque etiam recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: amici, diem perdidi.

Plin. Epist. I 13, 4 Nunc otiosissimus quisque multo ante rogatus et identidem admonitus aut non venit, aut, si venit, queritur se diem, quia non perdiderit, perdidisse.

Div. Tit. IX 3 paene ex professo sollicitantem exercitus e. q. s.

Val. Max. IV 1, 8 cum ex professo inimicitias cum . . . Scipionibus gereret e. q. s.

Quintil. XI 1, 33 Philosophiam ex professo . . . ostentantibus e. q. s.

Apul. Apol. 2 ac ne id quidem de professo audet.

Domit. XIV 3 eadem formidine oblatum a senatu novum et excogitatum honorem . . . recusavit.

Catull. XIV 8 Quod si, ut suspicor, hoc novom ac repertum | Munus dat tibi Sulla litterator e. q. s.

---

1) Ecce duae matronae illustres revocantes filios a studio philosophiae, quae est res maxime memorabilis.

CAP. V.

L'Abrégé de l'histoire romaine de Florus n'est qu'une brillante déclamation ... Son petit livre peut être comparé à un bouquet de fleurs de rhétorique déposé sur la tombe de la vieille république par l'historiographie romaine expirante.
Paul Thomas (La Littérature latine p. 222).

Ad Flori Epit. Lib. II.

I 40, 28 (pag. 100, 1 sqq.) at in septentrione Scythicum iter tamquam in mari stellis secutus Colchos cecidit, ignovit Hiberiae, pepercit Albanis. regem horum Oroden positis sub ipso Caucaso castris iussit in plana descendere, at Artocen, qui Hiberis imperabat ⟨*tributa*⟩ et *obsides* liberos dare; Oroden etiam remuneratus est ultro ab Albania sua lectum aureum et alia dona mittentem.

Rossbach, qui editionem Teubnerianam, quam sequor, curavit, inseruit *tributa,* quod num re vera Florus scripserit, equidem valde dubito. Legimus enim de Caesare priore bello Britannico finito (I 45, 17 pag. 109, 4 sqq.) *arma* et *obsides* accepit a trepidis et ulterius isset, nisi inprobam classem naufragio castigasset Oceanus. Quare supra quoque arbitror Florum dedisse: qui Hiberis imperabat ⟨*arma*⟩ et obsides liberos dare.

Hoc monet etiam id quod auctor narrat de Delmatis (II 25, 11 pag. 171, 5 sqq.) hos iam pridem Marcius consul incensa urbe Delminio quasi detruncaverat, postea Asinius Pollio gregibus *armis* agris multaverat.

II 33, 55 De bello Asturico Florus tradit haec (pag. 179, 18 sqq.) Astures per id tempus ingenti agmine a

montibus niveis descenderant. nec temere sumptus barbaris videbatur hic impetus; sed positis castris apud Asturam flumen trifariam diviso agmine tria simul Romanorum adgredi parant castra. fuissetque anceps et cruentum et *utinam* mutua clade certamen cum tam fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus, nisi Brigaecini prodidissent, a quibus praemonitus Carisius cum exercitu advenit.

Quid possumus elicere ex corrupto *utinam*? Primum attendendum est *ut* fortasse ortum esse ex proxima voce *et*, tum *inam* librarium perperam exarasse pro *inmane* (*īmane*). Memorabile certe est pro *inmanem* supra (I 22, 6 pag. 52, 8) cod. L exhibere *imnanem*. Ut igitur simul non inelegans loco insit gradatio, reposuerim: fuissetque anceps et cruentum et *inmane* mutua clade certamen e. q. s.

Cf. II 12, 3 (pag. 137, 8) hos omnis *inmanissimi* facinoris satellites habuit (sc. Catilina); I 4, 6 (pag. 18, 5) *inmane*[1] dictu; I 37, 5 (pag. 89, 14 sqq.) maximus barbaris terror elephanti fuere, *inmanitati* gentium pares.

Ad P. Annii Flori fragmentum De Vergilio oratore an poeta.

pag. 183, 3 sqq. Capienti mihi in templo . . . et saucium vigilia caput plurimarum arborum[2]) amoenitate, euriporum frigore, aeris libertate recreanti obviam subito quidam fuere, quos ab urbis spectaculo Baeticam revertentes sinister Africae ventus in hoc litus excusserat.

Huius fragmenti initium lacuna laborare multi perspexerunt atque conati sunt emendare, verum autem, ni fallor, nemo invenit. In ultimo fasciculo Mnemosynae (XL pag. 145) Damsté proposuit: Capienti mihi in templo ⟨*otium*⟩, cuius supplementi mihi quoque in mentem venerat. Cum autem mihi persuadeam

---

1) *Inmanis* sensu *ingentis* (praeter iam laudatum locum I 22, 6 *inmanem rogum*) occurrit I 45, 12 (pag. 108, 3) *inmania* corpora; cf. etiam I 22, 35 (pag. 57, 18) *immanitas* montium.

2) Verba *plurimarum arborum amoenitate* sanissima esse puto; secus opinatus est v. d. Vliet (Mnemos. XXVI pag. 276), cui nuper est adstipulatus Damsté (Mnemos. XL pag. 145).

auctorem dicere voluisse solitudinem a se quaesitam esse, scribo: Capienti mihi in templo ⟨*secretum*⟩ [1]) et saucium vigilia caput e.q.s.

Confirmatus sum legendis Valerio Maximo, Suetonio, Ammiano Marcellino, qui saepius locutiones adhibent tales quales sunt: *secessum* petunt (Val. Max. VIII 7, 5); *secretum* sumere (Suet. Domit. III 1); *secretis* se [2]) *secessibus* amendaret (Amm. Marcell. XVI 12, 58) cet. [3]). Quibus exemplis addo Curt. Ruf. VI 7, 3 remotis arbitris cum iuvene *secessit in templum* et Plin. Ep. IX 33, 10 locus ipse quietem suam *secretumque* perdebat.

Imprimis autem me movit hic locus Suetonianus (Oth. X 2) Fratrem igitur fratrisque filium et singulos amicorum cohortatus ut sibi quisque pro facultate consuleret, ab amplexu et osculo suo dimisit omnis *secretoque capto* binos codicillos exaravit, ad sororem consolatorios et ad Messalinam Neronis quam matrimonio destinarat, commendans reliquias suas et memoriam.

Ibid. pag. 184, 2 sqq. Unus de Baeticis Florum sic pergit alloqui:

et quid tu, inquit, tam diu in hac provincia? nec in nostram Baeticam excurris nec urbem illam revisis, ubi versus tui a lectoribus concinuntur et in foro omni clarissimus ille de Dacia triumphus exultat? potesne cum hoc singulari ingenio tantaque natura provincialem latebram pati? nihil te caritas urbis, nihil ille te ⟨*victor*⟩ gentium populus, nihil senatus movet? nihil denique lux et fulgor felicis inperi, qui in se rapit atque convertit omnium oculos hominum ac deorum.

Victor inseruit Rossbach Ritschelio obsecutus, sed vide ne h. l. dignius aut certe non minus aptum sit: nihil te caritas urbis, nihil ille te ⟨*princeps*⟩ gentium populus, nihil senatus movet?

Ipse Florus [4]) de bello civili inter Caesarem et Pompeium

---

1) Similitudine ultimarum quattuor litterarum *etum* cum *cium*, duabus ultimis syllabis vocabuli *saucium*, fortasse factum est, ut librarius *secretum* praetermitteret.

2) Sic edidit Upson Clark, at Novák (Wien. Stud. 1912 pag. 306) defendit: ut ... in *secretis secessibus* se amendaret.

3) Cf. etiam Sid. Apoll. VII 13, 5 frui *secreto*, indulgere *secessui*.

4) Schanz Gesch. d. rom. Litt. III pag. 76 sq. demonstravit P. Annium Florum poetam et rhetorem fuisse eundem historicum.

gesto sic scribit II 13, 1 (pag. 138, 19 sqq.) Iam paene toto orbe pacato maius erat imperium Romanum, quam ut ullis exteris viribus opprimi posset. itaque invidens Fortuna *principi*[1]) gentium populo ipsum illum in exitium sui armavit.

In Flori opusculo numerus ὁμοιοτήτων tantus est, ut haud facile alterum historicum invenias, qui ipse tot poetas atque prosae orationis scriptores imitatus est cuiusque ex Epitoma rursus posteriores auctores tam multa hauserunt. Qui sequuntur loci similes, ei ab aliis, quod sciam, nondum indicati sunt.

I 1 pag. 11, 9 sq. Mettum Fufetium religatum inter duos currus pernicibus equis distrahit.	Sid. Apoll. Ep. IX 9, 7 pernicibus equis insecutus abeuntem e. q. s.
I 10, 7 (pag. 18, 8 sq.) Cloelia per patrium flumen equitabat. (cf. I 39, 5 (pag. 94, 19 sq.) Minucius toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum ⟨per⟩ perfidum glacie flumen equitatur).	Sid. Apoll. Carm. VII 43 Scythiaeque vagis equitate catervis | Hister e. q. s. ibid. Carm. XXIII 249 equitata Bactra Parthis. (ergo transitive positum est equitandi verbum).
I 13, 2 (pag. 31, 19) Tarentos, Lacedaemoniorum opus. (cf. I 22, 42 pag. 59, 6 iam Tarentus ad nos redierat).	Sid. Apoll. Carm. V 430 ipsaque . . . trepidaverat uncta Tarentus.
I 13, 8 (pag. 33, 3 sqq.) elephanti . . . quorum cum magnitudine tum deformitate et novo odore simul ac stridore consternati equi, . . . fugam stragemque late dederunt.	Liv. XXI 55, 7 ad hoc elephanti eminentes ab extremis cornibus, equis maxime non visu modo sed odore insolito territis fugam late faciebant.
I 18, 20 (pag. 45, 9 sq.) quasi in vindictam Africae nata mirae magnitudinis serpens.	Liv. XXI 22, 8 tum vidisse post sese serpentem mira magnitudine . . . ferri.

---

1) Conferenda sunt praeterea Flor. II 6, 7 regum et gentium arbiter populus; Sueton. Cal. XXXV dominum gentium populum cet.

ibid. XXVII 4, 13 angues magnitudinis mirae lascivientium piscium modo exultasse.

I 18, 25 (pag. 46, 12 sq.) (Regulus) victor de victoribus atque etiam ... de fortuna triumphavit.

Apul. Met. XI 15 Lucius de sua Fortuna triumphat [1]).

I 22, 10 (pag. 53, 5 sq.) Ac primi quidem impetus turbo inter Padum atque Ticinum valido statim fragore detonuit.

(cf. I 40, 5 (pag. 96, 6) subitus turbo Pontici belli.

ibid. § 6 Primus statim impetus belli Bithyniam rapuit. II 9, 18 (pag. 132, 3 sq.) Scipione Norbanoque consulibus tertius ille turbo civilis insaniae ... detonuit).

Amm. Marcell. XIX 2, 6 lacrimabilis belli turbo crudescit e. q. s.

ibid. XVIII 10, 1 Haec dum primi impetus ⟨turbo⟩ conatibus agitat insperatis e. q. s.

I 22, 16 (pag. 54, 10 sq.) callidus imperator in patentibus campis observato loci ingenio (sc. Cannarum) e. q. s.

(cf. I 33, 3 (pag. 78, 3) ita undique mari Pyrenaeoque vallata est ut ingenio situs ne adiri quidem potuerit (sc. Hispania)).

Ovid. Trist. V 10, 17 sq. tumulus defenditur ipse | Moenibus exiguis ingenioque loci.

ibid. Ex Pont. IV 7, 22 sensit in ingenio nil opis esse loci. (cf. ibid. II 1, 52).

Apul. de deo Socr. 9 ut ex regionis ingenio sit etiam cultoribus eius ingenium.

Panegyr. III (XI) 10, 1 dites pro terrarum ingeniis messibus segetes.

I 31, 9 (pag. 74, 20 sq.) seditque sententia quoquo modo rebellandum.

(cf. I 31, 4 cum de bello sederet e. q. s.).

Sid. Apoll. Carm. VII 336 tandem nutanti sedit sententia celsum | exorare virum.

ibid. Epist. IV 15, 1 ita bonorum contubernio sedit.

---

1) Cf. effatum illud philosophorum hominis voluntatem κρείττω εἶναι τῆς Τύχης (Norden Aeneis Buch VI pag. 149).

	Verg. Aen. IV 15 si mihi non animo fixum immotumque sederet; ibid. II 660.
I 31, 16 deploratis novissime rebus triginta sex milia virorum se dediderunt.	Amm. Marcell. XXVII 9, 6 Musonius ... deploratis novissime rebus ... ad inevitabiles venit insidias e. q. s.
I 43, 4 (pag. 105, 8 sq.) ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuerunt. (cf. I 46, 8 (pag. 112, 2 sq.) in modum grandinis atque nimborum densa ... tela fuderunt).	Amm. Marcell. XXIV 2, 14 dimicabatur ... utrubique saxorum manualium nimbis [1]).
II 13, 73 (pag. 150, 21) Quasi numquam esset dimicatum, sic arma rursus et partes.	Verg. Aen. II 438 sqq. hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam | bella forent cernimus.
II 13, 88 (pag. 153, 12 sq.) ad simulacrum ignium ardens Pharos (cf. I 1 pag. 10, 2 ut ad simulacrum caelestium siderum custos imperii (flamma vigilaret).	Suet. Div. Iul. LXXXIV 1 aurata aedes ad simulacrum templi Veneris Genetricis collocata.
pag. 184, 22 (ut) similis furenti ... vager. (Cf. II 13, 82 pag. 152, 7 similis furenti ... procurrit).	Senec. Phoen. 428 Vadit furenti similis (sc. Antigona). Suet. Div. Aug. LI 2 commotoque similis; Div. Claud. XXXVII 2 similis attonito.
pag. 185, 10 non aliter mehercules, si conferre parvis magna licet, sacer ille iuvenis terras pervolitavit e. q. s.	Verg. Georg. IV 176 Non aliter, si parva licet componere magnis, | Cecropias innatus apes amor urget habendi. Eclog. I 23; Cic. Brut. 213 cet.

1) Alios locos confert Dukerus.

CAP. VI.

Ovid hat allem, was er anfaszte, eine neue Gestalt gegeben.
F. Leo (Griech. u. Lat. Lit. u. Spr. 2e A. 373).

Ovidiana.

Lectis relectisque Ovidii multorumque aliorum poetarum Latinorum operibus omnibus nonnullos locos Nasonis carminum manifesto corruptos mihi videor posse sanare. Initium faciendum est a verbis Deianirae, quae cum Hercule queritur de Iolae superbia (Heroid. IX 121 sqq.):

Ante meos oculos adducitur advena paelex
Nec mihi, quae patior, dissimulare licet!
Non sinis averti: mediam captiva per urbem
Invitis oculis adspicienda venit,
Nec venit incultis captarum more capillis
Fortunam vultus fassa [1]) tegente *suam*.

In Praefatione Teubnerianae (pag. XIX) Ehwald ad huius Epistulae versum 126. observat *suam* in rasura exaravisse manum secundam itaque factum esse ut vox genuina plane oblitteraretur. Potestne fieri ut locis similibus comparandis sinceram lectionem recuperemus?

Nimirum Deianira vellet Iolam quam sordidissimam in publicum prodisse, ne quis suae aemulae pulchram faciem admiratus esset neve ipsa captae mulieris formae invidisset. Ipse

1) Operae pretium est observare Livium quoque locutionem *fortunam fateri* adhibuisse nempe IX 4, 3 Tum Pontius debellatum esse respondit et, quoniam ne victi quidem ac capti *fortunam fateri* scirent, inermes ... sub iugum missurum.

poeta nos docet quo modo talem feminam oporteat esse comptam scribens (Amor. I 7, 39)

Ante eat effuso tristis captiva capillo,

i. e. iaceant capilli alii in collo, pendeant pars ante faciem vel oculos. Similiter fere Ovidius de se ipso in exilium proficiscente profitetur (Trist. I 3, 89 sq.)

Egredior, sive illud erat sine funere ferri,
Squalidus inmissis hirta per ora comis.

Quocirca non dubito supra (vs. 126) restituere

Fortunam vultus [1]) fassa tegente *coma*

Multa exempla favent coniecturae meae velut Trist. IV 2, 33 sq.

Perfidus hic [2]) nostros inclusit fraude locorum,
Squalida promissis qui *tegit* [3]) *ora comis*;

Ex Pont. III 3, 17 (de Amore)

Horrida pendebant molles super ora capilli cet.

Met. VII 159 sqq. Ovidius Iasonis Argonautarumque rebus gestis expositis sic pergit narrare

Haemoniae matres pro gnatis dona receptis
Grandaevique ferunt patres congestaque flamma
Tura liquefaciunt, inductaque cornibus aurum
Victima vota *litat*;

Pro *facit*, quae est codicum lectio, Ehwald quoque recepit *litat*, verum fieri potest ut *votafac'* in scriptura continua natum sit ex *votadat'* i. e. *vota datur*. Quod ut proponam, monent haec exempla Fast. I 385 sq.

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum
Ne *detur* celeri *victima* tarda deo.

ibid. IV 634

Telluri plenae *victima* plena *datur*.

ibid. IV 937

Tum mihi „cur *detur* sacris nova *victima*, quaeris?"

---

1) Pluralem numerum huius substantivi legimus etiam Heroid. X 134
Movisset *vultus* maesta figura tuos.

2) Sermo est de hostium duce, qui Romae in triumpho traducitur.

3) Cum locutione: vultus ... tegente coma cf. Amor. I 5, 9 sq.
Ecce, Corinna venit, tunica velata recincta
Candida dividua *colla tegente coma*.

Dandi verbum sollemne [1]) esse de sacrificiis elucet etiam ex sequentibus Fast. II 656 lactans ... porca *datur*; ibid. III 734 sacris pars inde *datur* focis; IV 671 Exta bovis gravidae *dantur*; IV 867 ture *dato* cet.

Agmen cogat versus Vergilianus notissimus Aen. XII 296

Hoc habet, haec melior magnis *data victima* divis.

Met. VIII 119 sqq. Scylla Minoem cum aliis versibus alloquitur tum hisce

Hac (sc. Creta) quoque si prohibes et nos, ingrate, relinquis,
Non genetrix Europa tibi est, sed inhospita Syrtis [2])
Armeniae tigres⟨*que*⟩ austroque agitata Charybdis.

Tertium versum sic refinxerim

Armeniae ⟨*et*⟩ tigres austroque agitata Charybdis,

nam verisimilius est coniunctionem intercedisse ubi ego *et* revocavi, quam ubi alii *que* addiderunt. *Et* autem secundo [3]) loco positum invenitur etiam Fast. VI 752

Usus *et* auxilio est anguis ab angue dato.

Interdum vero nihil fere interesse inter *et* et *que* docet Met. IX 382

Care vale coniunx, *et* tu, germana, pater*que*.

Synaloephe post primum pedem non semel apud hunc poetam invenitur velut Met. VIII 819

Seque viro inspirat faucesque et pectus et ora ...

ibid. vs. 828

Ut vero est expulsa quies, furit ardor edendi; vs. 842 cet.

Transeamus ad Tristia. Ovidius suam calamitatem comparans cum Ulixis malis ad hunc modum queritur I 5, 57 sqq.

Pro duce Neritio docti mala nostra poetae
Scribite: Neritio nam mala plura tuli.
Ille brevi spatio multis erravit in annis
Inter Dulichias Iliacasque domos:
Nos freta sideribus totis distantia mensos
Detulit in Geticos Sarmaticosque sinus.

---

1) Cf. Forbig. ad Aen. VIII 106.

2) *Inhospita Syrtis* mutuatus est Ovidius a Vergilio, quem Lucanus quoque imitatus est I 367.

3) De hac collocatione cf. quae observavit Ehwald Met. XV 444.

Hic poetae manus fortasse restitui potest edendo

Trabs tulit in Geticos Sarmaticosque sinus.

Ipse enim Ovidius in epistula ad Rufinum data scribit (Ex Pont. I 3, 75 sq.)

Exul ab Haemonia Pirenida cessit ad undam
Quo duce *trabs Colcha* [1]) sacra cucurrit aqua.

Decima elegia primi Tristium libri ab his versibus incipit (Trist. I 10, 1 sqq.)

Est mihi sitque, precor, flavae tutela Minervae
Navis et a picta casside nomen habet.
Sive opus est velis, minimam bene currit ad auram;
Sive opus est remo, remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta est vincere cursu,
Occupat egressas quamlibet ante rates;
Et *patitur fluctus* fertque assilientia longe
Aequora, nec saevis victa fatiscit equis.

Merkel iure ad vs. 7 annotat: *patitur fluctus* illud *pati* et *ferre* iterata minus possis probare ac Met. XIII 117 sqq.

Adde quod iste tuus, tam raro proelia *passus*
Integer est clipeus; nostro qui tela *ferendo*
Mille patet plagis, novus est successor habendus.

Quamobrem reposuerim

Et *quatitur* [2]) *fluctu* fertque assilientia longe
Aequora e. q. s.

i. e. E propinquo magna cum vi venientes undas navigium non minus sustinet quam procul allabentes.

Trist. IV 1, 7 sqq.

Cantat et innitens limosae pronus harenae
Adverso tardam qui trahit amne ratem;
Quique refert pariter lentos ad pectora remos
In numerum *pulsa* brachia *pulsat* aqua.

Pulsat e *pulsa* perperam iteratum genuinam vocem extrudit. Verisimile est quondam in codd. scriptum fuisse

---

1) Seneca Ovidium imitans canit Agam. 120 Phasiaca fugiens (sc. Medea) regna *Thessalica trabe.*

2) In Ibide legimus vs. 17 Cumque ego *quassa* meae complectar membra carinae. Cf. Ex Pont. II 3, 58 Vela regis *quassae* qualiacumque ratis.

pulsat
In numerum pulsa brachia *motat* aqua.

Cf. Met. IV 45

Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palaestini credunt *motasse* [1]) figura.

Trist. IV 3, 81 sqq.

Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputque
Conspicuum pietas qua tua tollat, habet.
Utere temporibus, quorum *nunc* munere *freta est*
Et patet in laudes area magna tuas!

His versibus uxorem poeta alloquitur, quam nisi omnia me fallunt ad hunc fere modum adhortatur: Tu si recte temporibus uti scis, quae tibi non omnino adversa sunt quibusque certe non oppressa es, magnae gloriae adipiscendae potestatem habes. Quocirca revocandum erit

Utere temporibus, quorum *non* munere *fracta es*
Et patet in laudes area magna tuas!

n̄ (= non) et *n̄c* (= nunc) saepissime confundi vix est quod moneam; ceterae quoque mutationes lenissimae sunt. De collocatione adverbii *non* satis habeo legentes relegare ad ea quae Ehwald observavit Met. IX 584 [2]).

Ex Pont. II 2, 93 sqq.

Felices, quibus o! licuit spectare triumphos
Et ducis ore deos aequiperante frui.
At mihi Sauromatae pro Caesaris ore videndi.
Terraque pacis inops undaque *iuncta* gelu.

Veram lectionem esse: undaque *vincta* gelu docet Ex Pont. III 1, 15

Tu glacie freta *vincta* tenes, et in aequore piscis
Inclusus tecta saepe natavit aqua.

Ex ipsius Ovidii carminibus laudentur praeterea Met. I 120 ventis glacies *astricta* pependit; Ex Pont. III 3, 26 Et coit *astrictis* barbarus Hister aquis?

---

1) Cf. Verg. Ecl. V 5 sive sub incertas zephyris *motantibus* umbras; Arnob. IV 21 ille rector poli ..... supercilio id est nutu totum *motans* et tremefaciens caelum.

2) Ovid hat häufig die Negation vom zugehörigen Wort getrennt e. q. s.

Denique non possum non comparare Sen. Troad. 624
torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
et Lucan. IV 652 sq. iam pectora pigro | Stricta gelu [1]).

In sequentibus paginis nonnullos locos similes collegi, qui desiderantur in commentariis ad Ovidii carmina omnium manibus tritis: tantummodo praecipuos attuli, multi autem qui minoris momenti sunt, videbantur supprimendi esse. Non pauci praetereundi erant, quos iam enumeraverat Ganzenmüller in elencho locupletissimo, cui titulus est Aus Ovids Werkstatt. [2]).

Amor. I 3, 11 Phoebus ... vitisque repertor.	Varr. de r. r. I 2, 14 Libero patri, repertori vitis.
Amor. I 7, 36 Cinge comam lauro votaque redde Iovi.	Horat. C. III 30, 16 Lauro cinge volens, Melpomene, comam.
Amor. II 12, 13 Me duce ad hanc voti finem, me milite veni.	Sall. Bell. Cat. XX 16 vel imperatore vel milite me utimini.
	Senec. de ira I 9, 2 „ira", inquit Aristoteles, „necessaria est, nec quicquam sine illa expugnari potest, nisi illa inplet animum et spiritum accendit; utendum autem illa est non ut duce, sed ut milite.
Amor. III 1, 19 sq. Saepe aliquis digito vatem designat euntem, | Atque ait „hic, hic est, quem ferus urit Amor".	Pers. I 28 At pulchrum est digito monstrari [3]) et dicier hic est.
Amor. III 2, 56 inceptis adnue, diva, meis.	Verg. Georg. I 40 audacibus adnue coeptis.
Amor. III 6, 51 Hanc Anien	Verg. Aen. VI 385 navita

1) De hac re edocuit Havet (Man. de crit. verb. § 584): Sans doute, si un copiste du XIVe s. confond *vinctus* et *iunctus*, cela peut tenir à ce que l'*u* ne diffère plus du tout de deux *i* (déjà *u* et *ii* se distinguent mal au IXe s.).

2) Philol. LXX (1911) pag. 274—311; 397—437.

3) Cf. Hor. C. IV 3, 22 sq. Martial. V 13, 3.

rapidis animosus vidit ab undis.	quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda.
Heroid. V 37 sq. Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit, | Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.	Verg. Aen. II 120 sq. obstipuere animi gelidusque per ima cucurrit ossa tremor. Cf. Aen. XII 447 sq.
Heroid. X 7 sq. Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina | Spargitur e. q. s.	Verg. Aen. II 268 Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris | Incipit.
Heroid. X 25 Mons fuit: apparent frutices in vertice rari.	Verg. Aen. I 118 Adparent rari nantes in gurgite vasto.
Heroid X 131 sq. Nec pater est Aegeus nec tu Pittheidos Aethrae | Filius: auctores saxa fretumque tui!	Iliad. XVI 33 sqq. *οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἔεν ἱππότα Πηλεύς | οὐδε Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα | πέτραι τ' ἠλίβατοι.*
Heroid. XV (XVI) 45 sq. Illa sibi ingentem visast sub imagine somni | Flammiferam pleno reddere ventre facem.	Verg. Aen. VII 319 sq. nec face tantum | Cisseis praegnans ignes enixa iugales.
Heroid. XV (XVI) 67 Obstipui, gelidusque comas erexerat horror.	Verg. Aen. III 48 Obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit.
Heroid. XV (XVI) 83 Dulce Venus risit.	Catull. LI 5 Dulce ridentem (sc. te spectat et audit). Horat. C. I 22, 23 Dulce ridentem Lalagen amabo. Sapph. II 5 *γελαίσας ἱμερόεν.*
Heroid. XV (XVI) 289 Venus aurea (Met. X 277; XV 761).	Verg. Aen. X 16 at non Venus aurea contra pauca refert. Odyss. IV 14 *ἣ εἶδος ἔχεν χρυσέης Ἀφροδίτης.*
Heroid. XX (XXI) 9 memori te vindicat ira (sc. Diana). (cf. Met. III 494; XII 583).	Verg. Aen. I 4 saevae memorem Iunonis ob iram. Liv. IX 29, 11 Appium memori deum ira ... luminibus captum.
A. Amat. I 120 Constitit	Liv. XXXIX 34, 7 adeo per-

in nulla, qui fuit ante color.	turbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei constaret.
Remed. Am. 370 Summa petunt dextra fulminis missa Iovis.	Senec. Ag. 96 feriunt celsos fulmina colles [1]). Horat. C. II 10, 11 Decidunt turres feriuntque summos | Fulgura montes.
Remed. Am. 625 Proximus a tectis ignis defenditur aegre.	Horat. Ep. I 18, 84 Nam tua res agitur, paries si proximus ardet.
Trist. I 8, 43 Quaeque tibi tenero quondam ducenda palato | Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.	Verg. Aen. IV 367 Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Trist III 4, 32 Propositique, precor, contrahe vela tui. (cf. Ex Pont. I 8, 72 voti... contrahe vela tui).	Senec. Ep. XIX 9 hic te exitus manet, nisi iam contrahes vela.
Ibid. 67 Di maris et terrae.	Verg. Aen. III 528 Di maris et terrae tempestatumque potentes.
Ibid. 85 Carmina ... capiti male fido ... canuntur. (Trist. I 6, 13).	Verg. Aen. II 23 statio male fida carinis.
Ibid. 339 sq. Viscera sic aliquis scopulus tua figat, ut olim | Fixa sub Euboico [2]) Graia fuere sinu.	Verg. Aen. I 45 turbine corripuit scopuloque infixit acuto (sc. Aiacem). Senec. Ag. 571 haerent acutis rupibus fixae rates.
Ex Pont. I 2, 125 Qui vicit semper, victis ut parcere posset.	Verg. Aen. VI 853 Parcere subiectis et debellare superbos.
Ex Pont. I 3, 34 Fumum de patriis posse videre focis (sc. optat).	Odyss. I 58 *ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι | ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται* (sc. Odysseus).

1) Cf. Aeschyl. Agam. (Weckl.) vs. 476 sq. Hense in sua Aeschyl. Agam. editione (vs. 448) comparat etiam Lucret. V 1131.

2) Ellis confert Sen. Agam. 558—560.

Cf. Caes. Frontoni V 20 (Nab. 78) Vel fumum inquit patriae Graius poeta.

Ex Pont. I 7, 10 si vita est mortis habenda genus.

Cic. de rep. VI 14 (Somm. Scip. 3) vestra vero quae dicitur vita mors est.

Ex Pont. I 8, 51 Ipse ego pendentis, liceat modo, rupe capellas, (sc. velim pascere).

Verg. Ecl. I 1, 75 non ego vos posthac viridi proiectus in antro | dumosa pendere procul de rupe videbo.

Ex Pont. II 5, 50 Qualis ab eois lucifer ortus aquis (sc. surgit iuvenis).

Verg. Aen. VIII 589 qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda (exierat portis . . . Pallas).

Ex Pont. II 9, 26 Victima pro templo cur cadat icta Iovis?

Soph. Oed. R. 896 τί δεῖ με χορεύειν;

Ex Pont. III 7, 13 et enim peiora tulisti.

Verg. Aen. I 199 O passi graviora e. q. s.

Horat. C. I 7, 30 O fortes peioraque passi.

Odyss. XX 18 κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Ex Pont. III 7, 23 Proximus huic gradus est bene desperare salutem.

Verg. Aen. II 354 una salus victis, nullam sperare salutem.

Ex Pont. III 7, 32 An fortuna mihi sic mea nota fuit.

Verg. Aen. II 44 sic notus Ulixes?

Met. I 411 inque brevi spatio superorum numine saxa . . . faciem traxere virorum.

Lucret. II 78 inque brevi spatio mutantur saecla animantum.

Met. VII 75 Quas (sc. aras) nemus umbrosum secretaque silva tegebat.

Verg. Aen. VI 138 hunc (sc. ramum) tegit omnis | Lucus et obscuris claudunt convallibus umbrae.

Met. VII 812 auram exspectabam, requies erat illa labori.

Verg. Aen. III 393 is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Prudent. Apoth. 394 Praesidiumque meum, requies o certa laborum (sc. Christe).

Met. VII 854 Per si quid merui de te bene e. q. s.	Verg. Aen. IV 316 sq. Per conubia nostra, per inceptos hymenaeos, | Si bene quid de te merui e. q. s.
Met. IX 617 ... dum spiritus iste manebit.	Verg. Aen. IV 336 dum spiritus hos regit artus.
Met. XII 583 Exercet memores plus quam civiliter iras.	Lucan. I 1 sq. Bella per Emathios plus quam civilia campos | ... canimus [1].
Met. XIII 265 Pectora ... vestris exercita rebus.	Verg. Aen. III 182 nate, Iliacis exercite fatis.
Met. XIII 705 sq. recordati Teucros a sanguine Teucri | Ducere principium.	Verg. Aen. I 19 Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci | Audierat.
Met. XIII 865 sq. Viscera viva traham, divulsaque membra per agros, | Perque tuas spargam ... undas.	Verg. Aen. IV 600 Non potui abreptum divellere corpus et undis | Spargere?
Met. XIV 156 sq. sacrisque ex more litatis | Litora adit.	Verg. IV 50 sq. sacrisque litatis | Indulge hospitio. (Cf. Sid. Apoll. Carm. I 21 Ergo sacrum ... lingua litabat).
Met. XIV 414 Cuius ab attactu variarum monstra ferarum | In iuvenes veniunt.	Verg. Aen. VI 285 multaque praeterea variarum monstra ferarum e. q. s.
Met. XIV 490 Sub pedibus timor est.	Verg. Georg. II 491 Atque metus omnes ... subiecit pedibus.
Met. XIV 632 Nec sentire sitim patitur, bibulaeque retunsas | Radicis fibras labentibus irrigat undis. Hic amor, hoc studium.	Verg. Aen. XI 736 sqq. At non in Venerem segnes. . . Hic amor, hoc studium.
Met. XV 152 seriemque evolvere fati (sc. iuvat).	Senec. Ep. XVI 6 si fatorum series inligatos trahit [2]. De Benef. IV 23, 3 quantam

1) Cf. Hosius De imitatione script. Rom. imprimis Lucani pag. 17.

2) Ehwald laudat Senec. Ep. 108, 19 sqq. addens: die Übereinstimmungen bei Seneca mit Ovid erklären sich als ovidische Reminiscenzen.

	fatorum seriem certus limes educit.
Met. XV 708 tepidique rosaria Paesti.	Verg. Georg. IV 119 biferique rosaria Paesti.
Fast. II 331 quid non amor improbus audet?	Verg. Aen. IV 412 Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis!
Fast. III 570 Hospes opum dives ... Battus erat.	Verg. Aen. I 13 sq. Carthago ... dives opum; II 22 Insula, dives opum (sc. Tenedos).
Fast. V 718 Dimidium toto munere maius erit.	Πλέον ἥμισυ παντός [1]).
Fast. VI 549 Annuerat, promissa fides.	Verg. Aen. VI 346 en haec promissa fides est?

De ratione quae intercedit inter Ovidium et Apuleium.

> Abstossend auf den modernen Leser wirkt die grosse Frivolität, welche sich in diesen Dichtungen unverhüllt hervorwagt ... er malt uns eine Scene, dass wir uns mit Abscheu abwenden.
>
> M. Schanz (G. d. R. L. II 1 pag. 274).

Apuleium titulum librorum, quos inscripsit „Metamorphoses", mutuatum non esse ab Ovidio, sed hausisse e fonte Graeco iam docuit Bürger [2]). Ceterum illud Nasonis poema non ita pauca praebebat, quae imitaretur scriptor fabularum Milesiarum. Quorum locorum maiorem partem commemoravit Gatscha [3]), qui tamen multos locos in Ovidii libris de re amatoria obvios ab Apuleio expressos omisit. Re vera videtur Corinna aliquatenus

1) Cf. Otto Sprichwörter cet. pag. 118, ubi desidero locum Ovidianum a me hic collatum.

2) De Lucio Patrensi pag. 4; cf. Schanz l.l. pag. 109.

3) Diss. Vindob. Vol. VI pag. 148 sq.

exemplar fuisse Fotidis ita ut magna similitudo intercedat inter elegiam quintam Amorum libri primi et Apul. Met. II 17 [1]). Respondent enim inter se

Amor. I 5, 10 Candida dividua colla tegente coma. (cf. etiam A. Amat. III 783 sq. Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleia mater, | Solvere et effusis colla reflecte comis).	Apul. Met. II 17 crinibusque dissolutis. (cf. Met. II 16 in effusum laxa crinem et capillo fluente undanter cet.).
Amor. I 5, 13 Deripui tunicam.	Apul. Met. II 17 laciniis cunctis suis renudata.
Amor. I 5, 17 Ut stetit ante oculos posito velamine nostros.	(Apul. Met. III 20 omnibus abiectis amiculis ac tandem denique intecti atque nudati cet.).
Amor. I 5, 25 Cetera quis nescit? lassi requievimus ambo. (cf. etiam A. Amat. II 727 sq. tum plena voluptas, | Cum pariter victi femina virque iacent. Rem. amor. 414 Lassaque cum tota corpora mente iacent).	Apul. Met. II 17 me satiavit usque dum lassis animis et marcidis artibus defatigati simul ambo corruimus inter mutuos amplexus animas anhelantes.
Amor. I 5, 26 Proveniant medii sic mihi saepe dies!	Apul. Met. II 17 ad cuius noctis exemplar similes adstruximus alias plusculas. (cf. Met. III 21 Ad hunc modum transactis voluptarie paucis noctibus).
Illis exemplis subiungenda sunt haec	
A. Amat. II 613 sq. Ipsa Venus pubem, quotiens velamina ponit, | Protegitur laeva semireducta manu.	Apul. Met. II 17 in speciem Veneris, quae marinos fluctus subit, pulchre reformata, paulisper etiam glabellum feminal rosea palmula potius obumbrans

1) Praeterea non inepte compares capita de laude Fotidis comarum (Apul. Met. II 8 et 9) cum septima elegia primi Amorum libri, ubi Ovidius pulchros capillos et formam puellae suae festivissime depingit.

	de industria quam tegens verecundia [1]).

Ad extremum possis componere etiam:

Amor. I 6, 3 sq. ianua ... semiad*a*perta.	Apul. Met. III 14 oculos ... semiad*o*pertulos.

Nemo miratur Ovidium praesertim in libris de materia amatoria saepe mentionem facere artis amatoriae magicae — quamquam ipse ei rei non multum tribuit [2]) — atque omnino totius disciplinae magicae, recte enim contendit Ehwald: Zauberscenen gehören in die Scenerie und den Apparat der erotischen Poesie [3]). Ceterum eandem rem interdum in suis Metamorphosibus tractat, velut in lib. VII, ubi de Medea agit, unde necessario fit ut hic illic Ovidius et Apuleius eadem consimiliave exponant, licet constet Apuleium, quippe cui uberrimi fontes Graeci praesto essent, non ex poeta Paeligno sua hausisse. Idcirco satis habeo in universum indicare similitudinem quandam esse inter Ovid. Met. VII 200—206, Amor. I 8, 6—18, Heroid. VI 85—88, Rem. Amor. 253—259 et Apul. Met. I 8; describo tantum haec

Amor. I 8, 13 sq. Hanc [4]) ego nocturnas versam volitare per umbras | Suspicor et pluma corpus anile tegi.	Apul. Met. III 21 quis (sc. membris unguento confrictis) leniter fluctuantibus promicant molles plumulae, crescunt et fortes pinnulae, duratur nasus incurvus, coguntur ungues adunci. fit bubo Pamphile.
Amor. I 8, 17 sq. Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris | Et solidam longo carmine findit humum.	Apul. Met. I 8 Saga ... potens ... montes diluere, manes sublimare [5]).

1) Hunc unum locum Brandt (Ovid. de Arte Amator. pag. 114) contulit.

2) Cf. de A. Amat. II 99 sqq.

Fallitur, Haemonias siquis decurrit ad artes
Datque, quod a teneri fronte revellit equi;
Non facient, ut vivat amor, Medeides herbae e. q. s.

Rem. Amor. 253 Me duce non tumulo prodire iubebitur umbra cet.

3) Bursians Jahresber. Bd. CVIII (1901) pag. 302.

4) Sc. anus, quae artes magicas novit.

5) Cf. M. Heinemann Epistulae amatoriae quomodo cohaereant cum elegiis Alexan-

De nonnullis locis Ovidianis quibus inest color ironicus.

Inter omnes constat Ovidium saepe Catullum Tibullum Propertium Vergilium Horatium Homerum alios scriptores et Latinos et Graecos imitatum esse atque plurimas sententias ex illorum operibus in sua transtulisse ita ut nunc ipsa exemplaris verba adhiberet, modo leniter immutaret. Interdum autem fieri non potuit quin verba aliunde petita novae orationis contextu colorem ironicum [1]) acciperent itaque parodia lenissima sane evaderet. Quod cadere praecipue in Amores et Artem Amatoriam in promptu est. Cavendum vero est ne credas in Ovidii eroticis elegiis inveniri Aristophaneum illud genus parodiae saevum atque mordax, facile enim unusquisque fidem habebit hisce verbis (Trist. II 563 sqq.)

Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam,
Nec meus ullius crimina versus habet.
Candidus a salibus suffusis felle refugi:
Nulla venenato littera mixta ioco est.

Quos versus ante Ibidem scriptos esse apparet. Iam vero enumerandi sunt praecipui illi loci, ut ipse vult poeta intellegi, iocosi [2]), licet non prorsus innocentes sint.

A. Amat. I 459 sq. Disce bonas artes, moneo, Romana iuventus, | Non tantum trepidos ut tueare reos.	Verg. Aen. VI 851 sqq. Tu regere imperio populos, Romane, memento — | hae tibi erunt artes — pacisque imponere morem, | Parcere subiectis et debellare superbos [3]).
Amor. II 1, 3 sq. Hoc quoque	Verg. Aen. VI 258 sq. „pro-

---

drinis (Diss. philol. Argentorat.) Vol. XIV fasc. 3 pag. 50, 51, 53, 54. Auctor imprimis agens de Apuleio et Aristaeneto perstringit et Ovidii paucos versus.

1) Cf. Schanz l.l. II 1 pag. 303 (diese Sentenzen) bekommen einen ironischen Beigeschmack.

2) Cf. Schanz l.l. II 1 pag. 304 In diesem Widerstreit zwischen Form und Inhalt liegt etwas Parodisches und Heiteres cet.

3) Brandt (l.l. pag. 40) haec annotat: Vielleicht kann man in der Ovidstelle eine leise Parodie erblicken.

iussit Amor: procul hinc, procul este, severae! | Non estis teneris apta theatra modis. (cf. A. Amat. I 31 sq. Este procul, vittae tenues, insigne pudoris, | Quaeque tegis medios instita longa pedes!).	cul o, procul este profani", | Conclamat vates, totoque absistite luco. Callim. h. II 2 ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός.
Amor. III 7, 15 Truncus iners iacui, species et inutile pondus. (cf. ibid. vs. 4 Sed iacui pigro crimen onusque toro).	Verg. Aen. II 557 iacet ingens litore truncus. Iliad. XVIII 104 ἀλλ' ἧμαι παρὰ νηυσὶν ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης.
Amor. III 7, 53 A tenera quisquam sic surgit mane puella, | Protinus ut sanctos possit adire deos?	Eurip. Ion. 146 sqq. χρυσέων δ' ἐκ τευχέων ῥίψω | γαίας παγάν, ἃν ἀποχεύωνται Κασταλίας δῖναι | νοτερὸν ὕδωρ βάλλων, | ὅσιος ἀπ' εὐνᾶς ὤν [1]).
Metam. XII 470 sq. „Et te, Caeni, feram? nam tu mihi femina semper, | Tu mihi Caenis eris".	Verg. Aen. VI 883 Tu Marcellus eris.
(cf. ibid. 474 sq. de eadem vel eodem: columque, | I, cape cum calathis, et stamina pollice torque: | Bella relinque viris). (cf. Verg. Aen. VII 444).	Iliad. VI 490 ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τέ' αὐτῆς ἔργα κομίζε, | ἱστόν τ' ἠλακάτην τε καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε | ἔργον ἐποίχεσθαι· πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.

Quin etiam una voce adiecta colorem satis ridiculum poeta appinxit verbis aliunde petitis, quod bis saltem in Arte Amatoria accidisse videtur.

A. Amat. I 603 sqq. At cum discedet mensa conviva remota, | Ipsa tibi accessus turba locumque dabit: | Insere te turbae leviterque admotus eunti | Velle	Verg. Aen. X 279 sqq. Quod votis optastis, adest, perfringere dextra | In manibus Mars ipse, viri ... Ultro occurramus ad undam, | Dum trepidi egressis-

1) Cf. Menand. Epitr. 223 sq.
ἁγνὴ γάμων γάρ, φασίν, ἡμέραν τρίτην
ἤδη κάθημαι.

latus digitis et pede tange pedem! | Conloquii iam tempus adest: fuge rustice longe | Hinc Pudor! audentem Forsque Venusque iuvat.

A. Amat. III 563 Effuge rivalem! vinces, dum sola tenebis: | Non bene cum sociis regna Venusque manent. (Cf. quae infra contuli ad Senec. Ag. 259).

His ultimis denique subicio Amor. II 5, 31 Haec tibi sunt mecum, mihi sunt communia tecum: | In bona cur quisquam tertius ista venit?

que labant vestigia prima. | Audentes Fortuna iuvat.

Enn. Poes. Rel. 404 sq. (Fab. inc. XXI) nulla regni sancta societas | Nec fides est [1]).

Iliad. II 204 οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. (Cf. quae supra contuli ad Min. Fel. Octav. XVIII 6).

Cic. de Offic. III 45 tyrannus petivit, ut se ad amicitiam tertium ascriberent.

1) Cf. Vahl. pag. 197.

CAP. VII.

> Seneca ist die glänzendste Erscheinung dieser Zeit. An Formgewandtheit nur mit Ovidius Vergleichbar, an Geist ihm weit überlegen cet.
> Teuffel-Kroll (R. L. II pag. 220).

Annaeana.

Thyest. 689 sqq. Nuntius choro narrare incipiens quomodo ab Atreo Thyestae filii occisi sint, utitur his verbis

Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. CHOR. Quis manum *ferro admovet*?
NUNT. Ipse est sacerdos, ipse funesta prece
Letale carmen ore violento canit,
Stat ipse ad aras, ipse devotos neci
Contrectat et componit et *ferro admovet.*

Leo, cui adstipulatur Richter, putat *ferro admovet* (vs. 694) iterata ex vs. 690 genuina verba expulisse. Verum si attendimus tales repetitiones in poematis Ovidii, quem tragicus persaepe imitatus est, rhetoricis praesertim rationibus innumerabiles inveniri, estne absurdum traditam lectionem tueri in tragoedia, quae merito rhetorica solet vocari? Memorabile certe admodum est apud Nasonem legi locum similem, quem haud scio an non contulerint doctissimi illi viri. Sunt autem notissima Hypermestrae verba Heroid. XIV 45 sqq.

Non ego falsa loquar: ter acutum sustulit ensem,
Ter male sublato reccidit ense manus;
Admovi iugulo, (sine me tibi vera fateri!)
Admovi iugulo tela paterna tuo.

Praeterea tragicus ipse non abhorret ab eiusmodi iterationibus, cuius rei libet unum et alterum exemplum afferre:

Ag. 115 Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Ag. 169 O scelera semper sceleribus vincens domus.
Ag. 435 Iuvat videre nuda Troia litora,
Ag. 436 Iuvat relicti sola Sigei loca.

Quocirca *ferro admovet* (694) equidem Senecae vindicare malim quam abiudicare [1]).

Quos huic observationi subiunximus locos similes, ei ab aliis, quantum scio, nondum commemorati sunt.

Herc. [fur.] 521 cur mugit solum? (cf. Oedip. 171 sqq. quin Taenarii vincula ferri | Rupisse canem fama et nostris | Errare locis, mugisse solum).	Verg. Aen. VI 256 sq. Sub pedibus mugire solum et iuga coepta moveri | Silvarum. Ovid. Met. XIV 406 sq. Exsiluere loco — dictu mirabile — silvae, | Ingemuitque solum. (cf. Ovid. Met. VII 206).
Herc. [fur.] 775 cumba populorum capax | Succubuit uni: sidit et gravior ratis | Utrimque Lethen latere titubanti bibit.	Verg. Aen. VI 413 gemuit sub pondere cumba | Sutilis et multam accepit rimosa paludem.
Herc. [fur.] 865 sq. unde numquam, | Cum semel venit, potuit reverti.	Catull. III 12 (qui nunc it) Illuc, unde negant redire quemquam.
Phaedr. 1083 sq. seque luctantur iugo | Eripere (sc. sonipedes).	Verg. Aen. XII 387 sq. Saevit et infracta luctatur harundine telum | Eripere.
Ag. 102 sq. modicis rebus | Longius aevum est [2]).	Aesch. Eum. (Weckl. 533) Παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν.
Ag. 116 Tecum ipsa nunc evolve femineos dolos.	Eur. Andr. 85 Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανάς· γυνὴ γὰρ εἶ.

1) Persuasum mihi est cum multos alios versus in Ovidii Heroid. et Amor. immerito damnatos esse a criticis tantummodo propter unam duasve voces repetitas, tum Amor. II 18, 26 Dicat et Aoniae Lesbis amata lyrae (cf. vs. 34 eiusdem elegiae).

2) Loci similes pertinentes ad tragoediam Agamemnonem a me laudati addendi sunt ad permultos illos, quos iam contulerunt Strauss, Ter Haar Romeny, Schreiner.

Menand. Epitr. 340 τοπαστικὸν γύναιον.

Ag. 259 Nec regna socium ferre nec taedae sciunt. (cf. supra ad Min. Fel. Oct. XVIII 6).

Thyest. 444 Non capit regnum duos.

Ovid. A. Amat. III 564 Non bene cum sociis regna Venusque manent.

Ag. 435 sq. Iuvat videre nuda Troiae litora, | Iuvat relicti sola Sigei loca.

Verg. Aen. II 27 iuvat ire et Dorica castra | Desertosque videre locos litusque relictum.

Ag. 502 fluctus hanc (subintellege: navem) decimus tegit.

Ovid. Met. XI 530 vastius insurgens decimae ruit impetus undae. (cf. Trist. I 2, 49 sq.).

Ag. 567 Tardamque ratibus Aulida.

Lucan. V 236 iniquam classibus Aulin.

Ag. 728 Sed ecce gemino sole praefulget dies | Geminumque duplices Argos attollit domus.

Verg. Aen. IV 470 (demens videt Pentheus) Et solem geminum et duplices se ostendere Thebas.

Eur. Bacch. 918 sq. Καὶ μὴν ὁρᾶν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, | Δισσὰς δὲ Θήβας καὶ πόλισμ' ἑπτάστομον.

Ag. 800 Hanc (sc. Cassandram) fida famuli turba, dum excutiat deum, | Retinete.

Verg. Aen. VI 78 sq. Bacchatur vates, magnum si pectore possit | Excussisse deum.

Ag. 869 vicimus victi Phryges.

Ovid. Fast. I 523 Victa tamen vinces, eversaque Troia resurges (cf. Verg. Aen. VII 295).

INDEX.

CAPUT I. Arnobiana.

CAPUT II. Ad M. Minucii Felicis Octavium.

CAPUT III. Ad Val. Max. Fact. et Dict. Memor. Lib. IX.

CAPUT IV. Suetoniana.

CAPUT V. **Ad Flori Epit. Lib. II.**

Ad Flori fragm. De Vergilio oratore an poeta.

CAPUT VI. **Ovidiana.**

CAPUT VII. **Annaeana.**